PHILIPPI MAZOCHII I. C. NEAPOLITANI

IN CAVSA HILARI FIDE CONSTITVTI

ACTORVM RECENSIO

Qua totum inſcriptionis HILARI judicium per temporum articulos diſpoſitum proponitur;

cui ſuis locis, praeter acta cetera, inſeruntur partium allegationes ſequentes:

I. Alexii Symmachi Mazochii ad Illuſtriſsimum Dominicum Georgium de Hilari Epigrammate Epiſtola.

II. Diarii litterarii Romani fragmentum.

III. Ludovici Sabbatini ad Eminentiſs. Beſozzium de eadem inſcriptione Epiſtola, ad Editionem principem recenſita, cum ejuſdem Philippi Mazochii variis lectionibus, & animadverſionibus.

IV. Alexii Symmachi Mazochii ad eumdem Illuſtriſs. Georgium de eadem inſcriptione poſterior Epiſtola.

NEAPOLI, Anno CIↃIↃCCXXXXV.

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO AMPLISSIMOQ. VIRO

Et JCto eruditiſſimo

VINCENTIO HIPPOLYTO

S. R. C. & R. Camerae S. Clarae Praeſidi incorruptiſſimo

PHILIPPVS MAZOCHIVS.

VOD Tibi, Praeſes Ampliſſime, opuſculum ſiſtitur, non tam ullius accuſationem, quam patrui mei Alexii Symmachi prope legitimam per juris tramites defenſionem continet. Num quamvis is tantum obtrectationes cujuſquam curet, quantum

Aut numerum lupus, aut torrentia flumina ripas;

pietatis meae tamen fuit, a quo me eductum atque eruditum fateor, ab eo non modo crimen quodlibet litterarium, ſed etiam criminis ſuſpicionem amoliri. Et id quidem quum bona fide praeſtare pro mea virili parte ſategerim; non mihi diu deliberandum fuit, ecui eam ſive juſtam defenſionem, ſive Actorum recenſionem *dicarem. Vnus mihi ex omnibus, Vir Optime atque eruditiſſime, ob oculos obverſabaris, ſub cujus nomine id quantulumcumque eſt operis emitterem. Primum quod Tu tanta ſemper benevolentia patruum complexus fueris, qua nemo alius; iſque viciſſim ſingulari in Te obſervantia cum omnibus decertaverit. Quem quum jamdiu id expoſtulantem audiverim, nullam ſibi ad hunc diem occaſionem oblatam fuiſſe talem, qua tua in ſe merita teſtata faceret; putavi hac tantula dedicatione me tum a patruo, tum a Te ipſo aliquam gratiam eſſe initurum: a patruo quidem quod nihil*

cuperet impensius ; quam si ipsi in Te colendo succederem : a Te vero ipso , quod studiosae juventutis esse Te amantissimum ejusque supra modum favere studiis , nemo non intelligit . Accedit quod haec controversia quum quamdam veluti causae forensis umbram atque imaginem praeferat ; cui potius quam Tibi Supremo Fori Neapolitani Praesidi offerenda fuisset , ab eo praesertim , qui quum unus de forensi turba sit , tuum modis omnibus patrocinium ambiat ? Quod si ea tamen tota lis atque causa in antiquitatis cognitione versatur ; Te facile nostrae gentis eruditissimum non Neapolis nostra solum , sed & exterae nationes fatentur . Id vero quum dico, non eam tantum eruditionis partem intelligo , quae ab linguarum , & ab eloquentiae poeticaeque studiis (quibus Te a puero innutritum scimus) proficiscitur , sed eam potissimum , quae in philosophiae stadio primum subacta , mox in legum sacrariis diutissime exculta, mentem tibi talem indidit , non quae jejunum tantum jurisconsultum , sed quae sapientem legislatorem deceat . Vt non immerito Invictissimi ac Potentissimi Regis CAROLI sapientiam mirari debeamus;qui Neapolitano Foro(cujus nomen sane quam magnificum semper in Europa fuit) daturus Praesidem , in Te potissimum conjecerit oculos : cujus scilicet singularem scientiam, aequitatem, fidem jamdiu sibi perspectam haberet . Nec Principem providentissimum opinio sua porro fefellit . Nam toto decennio , quo clavum tenuisti , ecquam officii partem in tam negotioso munere ac dignitate in Te desiderare potuimus? Justitiam ne ? a cujus orbitis vel latum unguem deflectere tam sacrilegum a Te semper est habitum , quam Templa atque sacraria spoliare . An fortitudinem ? quam aeneam ne , anne adamantinam in Te dixerim , haud plane scio . Anne in Regem optimum caritatem atque fidem? An postremo vigilantiam , providentiam, moderationem ? Nullum in Te partium studium : nullus potentiorum respectus : nulla in utramvis partem propensio , nisi quam ratio regina ac legum scita imperarent . Mitto jam ceteras virtutes tuas , tenacem propositi constantiam , abstinentiam , dexteritatem , totque alia ornamenta tua , quae omnium in se ora vultusque convertunt . Verum haec effari coram , mihi in primis, valde periculosum est , verenti , ne dum benevolentiam colligere satago, apud verecundiam tuam graviter offendam . Rogo igitur , ut quam singularem humanitatem in patruum praetetuliſti , eadem & me , & hoc qualecumque opusculum tibi optimo jure debitum complectaris . Id si feceris , me , quoad vivam , beatissimum praedicavero . Neapoli prid. Non. Decemb. Ann. CIↃIↃCCXLV.

J. M. J.

RECENSIO ACTORVM

QVA VARIVM INSCRIPTIONIS HILARI FATVM

Servata chronotaxi enarratur.

1. ANno CIↃIↃCCXXXXIIII. (I) menſe Decembri, in Coemeterio Praetextati via Appia inſcriptio Chriſtiana detecta fuit, cujus exemplum circumferebatur ejuſmodi. HIC. REQVIESCET. IN PACE. FEDE. CVSTITVTVS. ILARVS. QVI. VIXIT. ANNVS. &c. nam ultimus verſus varie principio lectus fuit, uti poſtea dicemus. Loco punctorum corcula de more ſingulas dirimebant voces. Inferne utrinque columba aderat, in quarum medio Chriſti monogramma intra lauream coronam. De oſſibus Hilari, quaeque cetera ad hanc inventionem pertinent, ea ſuo loco ex Diario litterario Romano licebit cognoſcere.

II. Interim Illuſtriſſ. Fr. Sylveſter Meranus Sacriſta Pontificius, nihil antiquius habuit, quam ut epigrammatis ejus exemplum ad Sanctiſſ. Apoſtolicum BENEDICTVM XIV. deferret; qui utpote non minus eruditione, quam ſupremis Eccleſiae univerſae Infulis, vere Maximus, ſtatim marmoris hujus agnito pretio, juſſit ejus exempla ἀρχαιολόγοις (*antiquariis*) in illud commentaturis diſtribui.

III. Inter hos autem Illuſtriſſ. ac doctiſſ. Dominicus Georgius ab intimo Sanctiſſimi D. N. Sacello, tum eximiis aliis in remp. litterariam meritis, tum praeſertim nobiliſſimis ingenii ſui foetibus, ac nuper Adonis Martyrologio mirifice illuſtrato, inclaruit. Hic qua pollet humanitate, ſcriptis ad V. Cl. Bernardum Cangianum Canonicum Neapolitanum menſe Januario anni hujus 1745. (II) litteris, marmoris enarrationem, quam optime omnium unus quiviſſet, Patruo meo Alexio Symmacho pertexendam detulit.

(I) Haec epocha ex Romae Diario litterario menſis Junii an. 1745. artic. 23. (quod infra exhibebimus) cognoſci poteſt.

(II) Epiſtola Georgii ad Cangianum deperiit. Sed de ejus mandato fidem facient ejuſdem Georgii ad Patruum litterae exeuntis Januarii, quas mox dabimus.

Digitized by Google

Qui tametsi incommoda semper valetudine conflictatus, tum vero praeterea edendo in Fastos marmoreos commentario, non sine jussu Eminentiss. Archiep. SPINELLI, unice intentus; impetrato tamen ab eodem Archiepiscopo bidui spatio, Epistolam ad Clariss. Georgium scripsit, qua rem totam ita explicavit, ut laudes eximias ab eodem laudato viro meruerit; cujus litterae (III) IV. Kal. Febr. ejusdem anni 1745. exstant adhuc in Patrui forulis. Ex cujus epistola id quoque colligitur, non eo animo Patruum in eam scriptionem incubuisse, ut ea sive Romae sive alibi formis typographicis ederetur, sed eum sibi & Musis ceciniisse, nec nisi amico suo Georgio id venisse in mentem, ut in publicum (IV) emitteretur.

IV. Atqui in eo epigrammatis exemplo, quod principio submiserat Georgius, versus ultimus sic concipiebatur: VIXIT. ANNVS. IL. MS. XXV. Quod ita Patruus exposuerat, *Vixit annos undequinquaginta* (V) *menses XXV.* Idemque priorem annorum summam ad vitam ante baptismum decursam, alterum vero mensium spatium ad reliquum vitae tempus pertinere, satis idoneis argumentis ex antiquitate petitis docuerat: quod totum Georgio suo mirifice placuit.

V. Ve-

(III) Sic incipit. *Roma 29. Gennaro 1745. Io sono confuso, e nel medesimo tempo non posso capire in me stesso per l'allegrezza e piacere, che ho avuto nel ricevere questa mattina la bellissima spiegazione fatta da V.S. Illustrissima all'epitafio* d'Ilaro. *Mi confonde la bontà, che ha avuta di tolerare il peso, che io mi sono preso l'ardire di addossarle; e mi confonde ancora la maravigliosa celerità, colla quale ha risposta al dubbio, ed io ne sono tanto contento, e la spiegazione tanto mi piace, che come ho detto mi rapisce. Tanto è vero ciò, che io la supplico di darmi la licenza di farla stampare in un giornale. Ed io qui non posso a meno di dire, che oltre a tante obbligazioni od a tanta veneratione, che professo al nostro Eminentiss. Arciv. Spinelli, una si è quella di aver desiderato che V.S. Illustrissima facesse la spiegazione dell'Epitafio in lingua Latina, perche così sarà più facile, che il mondo erudito la possa gustare. Ora la faccio copiare, e subito copiata la presenterò alla Santità di N. S., e le saprò dire con qual gradimento l'avrà ascolta... Non potrò mai abbastanza ringraziarla del favore che ha fatto a me, e de' nuovi lumi, che ella dà alla erudizione Ecclesiastica.*

(IV) Id intelligitur ex verbis illis in superiore epistola recitatis: *Io la supplico di darmi la licenza di farla stampare.*

(V) Nam lapidum exemplis docuit, notam I non tantum infra denarium minuendi potestatem habere, sed etiam supra decem. Ac fane videndum, an non inde natae locutiones illae fuerint *Vndeviginti*, *Duodeviginti*, *Vndetriginta*, *Duodetriginta* &c. Nam quum in marmoribus notas I. & II. praepositas ad minuendum valere, animadverterent; eas notas sic exposuerunt *Vndeviginti*, *Duodeviginti*, quasi qui id loquendi genus a notis illis didicissent, per quas *unum de viginti*, aut *duo de viginti* detrahi debere, ostenderetur.

Quum autem Patruus illud IL. exposuisset *novem & quadraginta*; hinc postquam refingenda ea pars epistolae fuit (quia scilicet abesse a IL. repertum fuit) tamen nescio quo casu illud *Novem & quadraginta* adhuc mansit: quod & in epistolam Romae a Palearino editam transfusum fuit, in qua sect. 14. legitur illud *Summa annorum Novem & quadraginta*, per errorem pro *annorum quinquaginta*.

Digitized by Google

V. Verum ſub haec ubi idem V. Cl. ſuis ipſe oculis marmor contemplatus eſſet; verſu ultimo loco notarum IL. monogramma implicatiſſimum deprehendiſſe ſe nuntiavit, ita ut ultimus verſus hunc in modum decurreret: VIXIT. ANNVS. Ɔ L. MS. XXV. Et ex epiſtolis ejus duabus fragmenta (VI) inferne ſubjeci; in quibus dolet, quod per hanc novam lectionem deperiret excogitatum pulcherrimum de ſpatii ante & poſt Baptiſmum evoluti diſcrimine. Putabant enim eruditiſſimi Romani ἀρχαιολόγοι (*antiquarii*) ad conſuetam formulam PLVS MINVS eſſe deveniendum; itaut Hilarus in totum annos XXV. *plus minus* vixerit.

VI. Patruus ad haec nihil minus quam illi ſpecioſo inventō affixum ſeſe eſſe, praelocutus (qui praeſertim aenigmata de inſcriptionibus quoquo modo eliminari, ſi fieri poſſet, unice cuperet) tamen ne ſic

(VI) *Roma 9. Febraro 1745. La Santità di N. S. ha infinitamente gradita la eruditiſſima lettera di V.S.Illuſtriſſima ſopra l' Epitafio d' Ilaro. Io ſopra ogni altro ne godo, e per altre mi arroſſiſco nel vedermi con mia confuſione troppo eſaltato da V. S. Illuſtriſſima, onde ſe nella detta lettera vi è da riſecare, quello certamente vi è che appartiene a me. Ora ho voluto andare di nuovo a vedere l' iſcrizione, ed ho ritrovata in eſſa una variazione, la quale non avrei voluto ritrovarmi; perche nell' ultima linea dopo la parola ANNVS in vece di leggerſi IL. ſi legge in queſta guiſa* (vide formam ſupra in hac eadem pag. verſu 4.) *che vuol dire ſe non m' inganno PLVS. cioè la ſolita formola degli anni* plus minus. *Le ſcarpelline ſopra l' aſta del P. ha continuata una linea retta interſecata con due altre linee traſverſali, e feſſo il ſemicircolo, e erbe, che forma la lettera P. vi ha meſſa una linea parimente traſverſale. Contutto ciò crederei, che queſte linee non doveſſero alterare il ſignificato della parola* Plus. *Se dunque è così, oh quanto mi diſpiace, che non poteſſero aver luogo le belliſſime oſſervazioni da lei fatte intorno la diſtinzione degli anni prima del batteſimo e degli anni di poi nelle Iſcrizioni Criſtiane. A lei dunque ricorro per vedere ſe vi è caſo di poter ritenere le dette oſſervazioni, e perche ella faccia alla diſſertazione quella aggiunta, e mutazione che più le piace per la voce* Plus *colle linee di già accennate. La lettera della ſeconda linea* (cioè l' E con quattro tagli) *come ha V.S. Illuſtriſſima accennato, credo che ſia un compoſto delle tre lettere E, T, F; perche ha i due tagli nel mezzo. L' altra lettera che ſiegue è un E in luogo d' I. Rimette quì l' iſcrizione di nuovo, che è così...*

Sequitur altera epiſtola. *Roma 9. Marzo 1745... Ora venendo al caſo noſtro, dopo di aver fatta qualche riflessione e dopo di eſſermi ancora conſigliato con qualcheduno di queſti Signori, ſembra loro che debba ſtarſi attaccato al ſenſo naturale delle note PL. MS. ſpiegandole* Plus minus. *In queſto caſo la ſua eruditiſſima lettera, con cui vien tanto ornato il mio povero nome, ſino alle parole*, et agglutinandi notionem complectitur *và a maraviglia. Se poi per attaccare vuol aggiungervi qualche altra coſa, e diſcorrere ſopra il monogramma* (illud idem ſcil. quod ſupra exhibitum fuit) *anderà benissimo; poi mi prrſcriverà, dove ha da congiungerſi verſo il fine. Senza che ſi prenda alcun altro incomodo di far copiare l' epiſtola, baſterà che mi mandi la detta aggiunta...*

quidem, poſt monogramma detectum, de duplicis vitae ſpatii diſcrimine decedere quidquam, imo nunc ut quum maxime ad id diſcrimen eſſe recurrendum, contendit. Itaque poſtremam Epiſtolae ad Georgium ſuae partem ita refinxit, quemadmodum illa poſtea typis edita Palearini fuit.

VII. Verum nihil vetat eam totam epiſtolam heic ſubnectere, quemadmodum illam Patruus manu exaratam, ſed ultima ſui parte ad monogrammatis exemplum refictam, Georgio ſuo legendam, atque, ſi opus eſſet, corrigendam miſit; non vero eo animo, ut, quod vir amiciſſ. poſtea cenſuit, in publicum emitteret.

ALEXII SYMMACHI MAZOCHII EPISTOLA

AD ILLVSTRISS. AC REVERENDISS.

DOMINICVM GEORGIVM

Ab intimo SS. D. N. BENEDICTI XIV. Sacello.

TVM Canonico Bernardo Cangiano V. Cl. egi privatim gratias, quod mandata tua ad me diligenter perferenda curavit; tum vero in primis Tibi, Vir eruditiſſime, pro eo quanti me feceris; ingentes ago; qui de Inſcriptione puleherrima, nuper in Cœmeterio Praetextati detecta, judicium meum exquiſieris. Ea vero inſcriptio talis eſt:

HIC · REQVIESCET · IN
PACE. ☧ EDE · CVSTITVT
VS. ILARVS · QVI · VIXIT ·
ANNVS · ☧ L · MS · XXV ·

Columba cum corona in roſtro — Chriſti Monogramma — Columba cum corona in roſtro

1. *Quo in Epigrammate, uti ſignificas, illud doctiſſimo cuique ſalivam movit, ecquid ſibi velit illa formula* Fide cuſtitutus, *ſive* conſtitutus. *Merito id quidem. Verum quod eâ de re ſententiam a Te rogor, nae Tu facis hoc pro conſueta moderatione, & civilitate tua. Qui ſi de tua me opinione praemonuiſſes, & omni me labore levaſſes, & conſuluiſſes exiſtimationi meae. Quid enim propius fuiſſet, quam ut in tuam pedibus irem ſententiam? non ut ex principibus ſenatoribus unus; ſed ut ex pedariis ſcilicet. Nunc, quando face tua me carere voluiſti; cogor in incerto opinionum, ſic tamquam in ſolo lubrico veſtigia figere. Verum quando ita mecum actum eſſe voluiſti; quid reſtat, niſi ut perfricta prius fronte, ſic demum ad iſtam exiſtimationis meae aleam jaciendam audacter progrediar? Ajo igitur,*

igitur, & quovis depoſito pignore, ſi eo uſque adigar, contendo, illud Fide conſtitutus *tantumdem eſſe, quod* Fidelis, *ſive* Baptiſmo initiatus.

2. *Jam primum omnium* (*ut inde uſque ordiar*) *veteris virorum eruditorum querelae de Chriſtianarum inſcriptionum obſcuritate non aliam magis idoneam cauſam afferre poſſe mihi videor, quam ſacroſanctam arcani diſciplinam, qua per illa priora ſaecula Religionis Myſteria celabantur. Ea, inquam, diſciplina in Chriſtianorum epitaphiis mire prorſus ſe prodit: in quibus non tantum* Chriſti *nomen obſcura monogrammatis nota obtegitur, verum etiam ejus ſacratiſſimae Sectae cultores ſive per ſcalpta navis, anchorae, oleae, columbae* (*& quae ſunt plura ejuſcemodi*) *hieroglyphica ſymbola deſignabantur, ſive per conſuetum illud, ſed tamen notionis incertae* (1) Benemerentis *vocabulum; cui etiam* Pacis *vocem plerumque adjungebant, ſed quanam potiſſimum intelligentia* (2), *nonniſi initiatis, non item exteris, aſſequi promptum erat. Poſtremo, ut, praetermiſſis ceteris, ad propoſitam quaeſtionem me referam: ſi quando de Baptiſmate injici mentionem placuiſſet, nonniſi per ambages, & mutiendo magis, quam eloquendo, id fiebat. Cujus rei exempla, quae ad manus habeo, ſubjicere non pigebit.*

3. *Nam quid, rogo, aliud niſi mera aenigmata illa ſunt,* Percepit, *aut* Accepit *abſolute & ſine ullo caſu poſita? Et tamen hiſce dimidiatis locutionibus noſtri homines in ſuis tumulis merſionis myſterium innuebant. Harum formularum priorem a me pridem repertam in Syntagmate Inſcriptionum Gudiano pag.319.18.* [*ubi ſic ſcribitur:* EVFRONIA ... NATa PRIdie KAL. NOvemb. PERCEPIT (*ſupple* Baptiſmum) III. ID. APRIL. DECESSIT PRID. KAL. MAias] *ad Baptiſmum perceptum retuleram. Sed in ea me opinione poſtmodum confirmavit celebris altera Fabretti inſcriptio pag.577. num.* LXX., *ubi* PASCASIVS PERCEPIT [*haud dubie* Baptiſmum] XI. KAL. MAIAS ET ALBAS SVAS OCTABAS PASCAE AD SEPVLCRVM DEPOSVIT. *Jam vero &* accipiendi *verbum in eadem re, perquam obſcure uſurpat Fabretti altera Inſcriptio pag. 574. num.* LXI., *quam memini me alicubi expoſuiſſe. Hinc etiam* ACCEPTIO *non aliud eſt quam Baptiſma apud eumdem Fabrettum pag. 563. num.* XXXIX., *ubi*: KAMPANVS *poſtquam vixerat ann. 35. demum* EX DIE ACCEPTIONIS SVAE [*i. e. Baptiſmi*] VIXIT DIES LVII. *Quas poſtea arcanas locutiones etiam profani ad ſua ſacra tranſtulerunt; cujus rei exempla ſane complura non eſt opus* [3] *huc afferre.*

4. *Unum*

(1) Supervacaneum eſt de BENEMERENTIS epitheto exempla huc afferre, quum vix ulla Chriſtiana epigraphe reperiatur, in qua defuncto non id adjunctum tribuatur: in tantum ut vel ſi nulla Chriſtianiſmi nota in ſepulcralibus titulis reſideat, uno tantum expreſſo BENEMERENTIS elogio pro Chriſtianis habeantur. Verum de ſignificatu nihildum vidi ſcriptum. Sane vero nemo dubitat, quin ſit epitheton Chriſtianorum διαφορικὸν *diſcriminans*. Videtur ergo revera ad *Meritum* notione Theologica ea vox referri. Eoque pertinet illud apud Reineſium Claſ.XX. num.102. PRO INNOCENTIA SVA BENEMERENTI. Id vero clarius percipitur ex adjuncto plerumque *Pacis* vocabulo in hunc modum, BENEMERENTI IN PACE: nam *Pax* etiam religioſo ſignificatu ſumitur: de quo mox.

(2) Illud IN PACE, quod in Chriſtianis titulis vix uſquam deeſt, non dubito quin de PACE Eccleſiaſtica ſit accipiendum, ſive de *Communione*, per quam veluti glutinum membra in unum corpus coaleſcebant. Reperitur & nonnumquam mutila formula TE IN PACE (cujus exempla plura Fabrettus affert) quae mihi videtur initium hymni aut precationis fuiſſe, quam fideles defuncto in Eccleſiae pace accinere conſueverant, ferme ut nos carmen *Requiem aeternam*, aut ſimilia modulamur. Apud Reineſium Claſ.XX. n.166. ſcribitur, IN PACE XPI.

(3) Veluti in ſacris Taurobolii, de quibus in marmoribus legitur, *Taurobolio Criobolioque PERCEPTO*. De Iſiacis Ambroſius epiſt. ad Sabinum: *Si quando Iſidis ſuſcipiunt ſacra.* Sic in Cereris ſacris τὰ μυστήρια παραλαμβάνειν h. e. *Myſteria accipere*: & in Mithriacis τὰ Λέοντος παραλαμβάνειν h. e. *Leonica*

4. *Vnum autem ex arcanis hiſce Baptiſmi nominibus celeberrimum illud fuit, ut is ritus* FIDES *appellaretur. Cujus appellationis pleniores ſunt antiquorum chartae, quam ut id demonſtratione indigeat. Itaque apud Tertullianum ſexcentis locis* Ante fidem *&* Poſt fidem *tantumdem eſt quod* ante *&* poſt baptiſmum. *Videatur prae ceteris lib.* De pudicitia *cap.* 18. *& alibi paſſim. Sed & eod. libro illud* Fidem ingreſſa *eo pertinet, quod baptiſmus veluti janua Chriſtianae Religionis habebatur. Adhaec protrita illa apud antiquos phraſis,* Fidei Sacramentum, *quid aliud notat quam Sacramentum lavacri? Idem Tertullianus lib.* De anima *non longe ab initio:* Cui enim veritas comperta ſine Deo? cui Deus cognitus ſine CHRISTO? Cui CHRISTVS exploratus ſine Spiritu Sancto? Cui Spiritus Sanctus accommodatus [*i. e. datus*] ſine FIDEI ſacramento? *Verum ne multa: nam neminem unum futurum opinor, qui negare auſit,* Fidei *nomine apud antiquos veniſſe Baptiſma; imo & nonniſi percepto baptiſmate a* Fidei *nomine* Fideles *nuncupatos. Quare quum* FIDES *ſit Baptiſmus; quid aliud relinquitur, niſi ut* FIDE CONSTITVTVS *idem plane ſit, quod* tinctus *ſive baptiſmate initiatus?*

5. *Verum quid, inquis, in hac Epigraphe id eloqui neceſſe erat; quum qui Chriſtianus, idem continuo & baptizatus fuerit oporteat? Atqui ego nego, tunc aetatis, quum baptiſmus quibuſdam* [4] *de cauſis ad multam aetatem a pluribus prorogari ſolebat, omnes qui Chriſtiani eſſent, eos continuo etiam Baptiſmate lotos fuiſſe. Nam contra illa erat tunc temporis Chriſtianorum ſumma diviſio in* Catechumenos, *&* Baptizatos: *poſteriores autem non aliter ferme quam* Fideles [*a* Fide *h. e. Baptiſmate*] *vocabantur. A* Fidei *inquam Sacramento, non a virtute* Fidei *fideles id ſibi nomen adſciverunt: nam ceteroqui jam tum quum Chriſto nomen dederant, & Paſtorum Catecheſibus aures admoverant,* Fidem, *quatenus eſt virtutis nomen, imbiberant; ſed non continuo* Fideles *audiebant. Ergo quum ſciſſum tunc eſſet credentium vulgus in Catechumenos & Baptizatos; non ſupervacaneum fuit de Baptiſmo percepto fieri mentionem in hoc marmore.*

6. *Age vero quorſum ſpectat participium illud* CONSTITVTVS, *quod cum* FIDE *jungitur? Quia* Fidei *notio, quam antiqui illi animo conceperant,* στάσιν *i. e.* ſtatum, *complecti cenſebatur: quod totum quale ſit, praeſtabit id alio* [5] *loco expendere, quam heic lectorem longa oratione enecare.*

7. *Poſtremo pro* FIDE CONSTITVTVS *ſcribi* FIDELIS *potuiſſet. Non id eo inficias. Verum longe aliud conſilium auctori hujus epigrammatis inſederat: cui propoſitum fuit tum* PACIS, *tum etiam* FIDEI *vocabula una ſyntaxi nectere. Nam ſiquid video, imo ſpirtu legendum eſt in hunc modum:* IN PACE ET FIDE CONSTITVTVS. *Hec equidem copulam* ET *de meo heic admetior; verum latet in complicato elemento* E, *in quo* [*uti opportune me admoniſti, Georgi eruditiſſime*] *quatuor ſunt tranſverſariae lineae*

---

tica accipere uſurpabatur. Spartianus de Hadriano cap. 13. *Eleuſinia ſacra .... ſuſcepit.* Quam phraſeologiam, ut & alios quoſdam ritus ad eadem ſacra pertinentes ethnici noſtrorum arcanorum rimatores a noſtris arripuerunt: quod pluribus poſſem oſtendere, ſi id agerem.

(4) Ea mihi ſemper una ex dilationis illius cauſis viſa fuit, quod magna apud antiquos Baptiſmi exiſtimatio erat; quippe qui ex Paſtoribus didiciſſent, poſt Lavacrum innocentiam praeſtari oportere: non quod lapſis poſt Fidem ſpes nulla ſupereſſet, verum quod altera illa poſt naufragium tabula arduum ſane negotium ac plenum laboris haberetur.

(5) Clemens Alex. in Strom. IV. etymologiam vocis Πίστις [Latine *Fides*] hanc eſſe tradit, ut ſit περὶ ὃ ὂν στάσις h. e. *circa id quod* [natura ſua] *EST ſtatus.* Falſam quidem hanc eſſe etymologiam, nemo non videt. Verum ex ea ſaltem intelligitur, quaenam Fidei notio antiquorum mentibus inſediſſet. Clementi concinit Theodoretus θεραπ. Serm. V. ubi *Fidem* eſſe ait περὶ ὃ ὂν ἐνεργεῖν: quod idem ſignificat. Atqui ea, inquis, phraſeologia ad virtutem *Fidei*, non ad Baptiſmum pertinet. Imo, inquam, etiam ad *Fidem*, qua Baptiſmum notat, ea loquendi genera ſunt referenda: quod pluribus oſtenderem, ſi neceſſe id eſſet. Quamquam ceteroqui in hoc marmore FIDEI poteſt utrumque complecti, tum *Fidei* virtutem, tum etiam Sacramentum.

Digitized by Google

lineae parallelae. Quocirca hoc monogramma tria elementa complectitur, E, T, F. *Prima littera ex recto haſtili, & tribus inferioribus tranſverſariis conſta: altera, h. e.* T, *ex eadem recta ad perpendiculum linea & ex ſuprema tranſverſa componitur: poſtremo* F *item ex eadem, quam ſaepe dixi, haſta & ex duabus tranſverſis ſuperioribus compingitur. Ita conſtabit illud* ET FEDE. *Quum ergo auctori hujus elogii propoſitum fuiſſet* PACEM *atque* FIDEM *una communi ſyntaxi copulare; neceſſe habuit unum aliquod participium ſubnectere, quod cum utroque, potiſſimum autem cum viciniore, apte cohaereret. Nec aliud placuit quam* CONSTITVTVS *ob eam cauſam, quam ſupra indicavi, aut quam mox dabimus.*

8. *Eſt enim animadvertendum, ex copula* ET, *quam in monogrammate delitentem in apertum produximus, neceſſario ſequi, illud* IN PACE *non tam referri ad* REQVIESCIT, *quam ad ſequentia: ſed ita tamen ut totum hoc membrum* IN PACE ET FIDE CONSTITVTVS *referatur rurſus ad* REQVIESCIT. *Hoc enim ordine procedit elogium:* HIC REQVIESCIT CONSTITVTVS IN PACE ET FIDE, *h. e. non tantum per* Fidei *ſacramentum inter* Fideles *aggregatus, verum etiam* Pace *Eccleſiaſtica fruens, Dominicique Sacramenti particeps. Ut autem quo dixi modo quis inter Fideles conſtitueretur, non tantum* Fidei *ſacramentum, veluti janua, verum etiam* Pax *Eccleſiaſtica, tanquam glutinum, & ferruminatio requirebatur. Quo loco* Conſtituendi *verbum* (*h. e.* συνιστάσθαι) *ferruminandi & agglutinandi notionem complectitur.*

9. *Ac videbar hactenus ſic rogatus dixiſſe ſententiam, ut etiam tibi cauſam probaſſe me crederem. Verum utut Tibi aut aliis ſatisfecerim; mihi certe ipſe nondum plane feci ſatis. Nam haeret adhuc in verſu ultimo nodus vindice dignus. Quid enim illud ſibi vult:* VIXIT ANNVS PL MS XXV? *Ac primo ſane intuitu videbatur hoc legendum in hunc modum,* Vixit annos plus minus XXV. *Vtinam vero, Georgi eruditiſſime, res ita ſe habeat: nam ab ulterioris inquiſitionis cura liber evaderem. Nunc, niſi vehementer fallor, nec illud* MS (6) *poteſt ſignificare* MINVS; *nec, in quo caput eſt, portentoſum illud monogramma ſimul cum ſequente* L *poteſt exponi* PLVS. *Nam ſi elementum, quod ante* L *ponitur, ſimplex eſſet* P; *quis dubitat, quin cum adjuncto* L *vocis* PLVS *index futura eſſet? Nunc vero non temere id eſt, quod littera illa* P *non ſimplex eſt, ſed compoſita, & ita quidem compoſita, ut quocumque modo ea reſolvatur, numquam ex ea & ſequente* L *vox* PLVS *extundi poſſit.*

(6) Ajo notam MS. numquam pro *minus* uſurpari; cujus rei inſcriptiones, quaſcumque viderim, in quibus PLVS MINVS uſurpatur, teſtes advoco; in quibus illa formula ſive integris litteris notatur, ſive in hunc modum PL. M. ſive P.M. ſive poſtremo junctim PM ſine medio puncto, aut PM cum ſuperpoſita lineola.

Quod autem ad poſteriorem formulae vocem MINVS attinet; eam ſemel tantum duabus litteris perſcriptam reperi, quarum poſterior non ſibilum, ſed N fuerit, illo modo MN. Sic enim reperio apud Fabrettum pag. 589. num. 200. VIXIT. ANNOS. PLVS. MN. TRIGINTA. Cur vero MINVS per MN. notari, non per MS. potuerit, ea eſt cauſa; quia ſolebant interdum ſyllabatim verba concidere, ac puncta interjicere. E. gr. COM. PA. RA. BE. RVNT pro *Comparaverunt*. Ab eo factum, ut ubi vocem aliquam per primores litteras notare voluiſſent, haud raro primas uniuscujuſque ſyllabae litteras ſignaverint. Sic illud apud Reines. C. XX. 57. Q. C. P. R. B. R. ſine dubio ſignificat *Quem Comparaberunt*, uti conſtat ex integro QVEM COMPARAVIT, quod ſequitur. Ac truſtra ſim, ſi hujus moris exempla congerere ſatagam, quae ſunt innumera.

Sed & primores ſyllabarum litterae continua ſerie ſine interjectis punctis notabantur, ut BNP eſt *beneficiarius*; BNV *bene vale*; DM *dormit*; DMN *domini*; DP *depoſitus*, ſicuti & DIS; MERTB *merentibus*, & BMT *benemerenti*; SD *ſedit*; SQ *ſequitur* &c. Quas notas in uno Fabretto deprehendi, plures in Grutero & aliis, ſi modo adnitar, deprehenſurus. Ob eam cauſam vox MINVS non per MS, ſed per M. aut MN. ſcribi debuit. Et ob eamdem cauſam ω MS. non *Minus*, ſed *Menſes* ſignificabit; quia in voce MENSIS ω S prior eſt poſterioris ſyllabae littera.

Digitized by Google

10. *At de eo monogrammate, quod nuſquam alibi reperitur, ſic ſentio. Puto igitur hac inſolita nota duas contineri litteras* P *&* M. *De priore littera non eſt dubium: de poſteriore tota eſt difficultas. Sciendum eſt autem litteram* M *praeter uſitatum ſcribendi modum, reperiri interdum ſic depictam, ut ſimillima plane ſit* ϖ (m) *minuſculo, quod hodie uſurpatur. Nec enim hujus litterae minuſculae forma heri aut nudius tertius prodiit, ſed haud raro in marmoribus* (7) *occurrit. Quo circa monogramma, de quo quaerimus, reſolvendum eſt in* P *erectum, & in* (m) *minuſculum, non quidem ſtans, ſed jacens in hunc modum* (≷).

11. *Aut potius hoc idem elementum majuſcula & conſueta quidem forma effigiatur, niſi quod jacens in hunc modum* Σ, *nempe ut Sigma Graecum. Quo id modo? Nimirum ſi ex duabus monogrammatis inferioribus tranſverſariis, & medio litterae* P *ſemicirculo (qui revera rotundus non eſt, ſed in angulum artatur, non ſecus ac in* Σ) *confiat illa littera labialis jacens. At, inquis, quid poſtea tertia ſuperiore tranſverſa linea fiet? Ex ea, inquam, ſimul cum ea haſtilis parte, quae ſurſum longius excurrit, fiet* L: *quam litteram ſcalptor neceſſariam putavit, ut ſimul cum* P, *clarius notaret* PLVS. *Atque haec interpretatio verior eſt. In hoc enim litterarum nodo reperitur* PL. *itemque* M *jacens, ut vel feſtinanti ſignificationem ingereret formulae* PL. M.

12. *His intellectis, jam ſimul illud efficitur, ipſum per ſe monogramma complecti conſuetam formulam* Plus minus: *quae quidem formula plurimum duabus his tantum litteris* PM, (*& quidem nullo ſaepius intercedente* (8) *puncto, nec raro ſuperpoſita* (9) *lineola, quaſi ſi una ſit vox compoſita*) *ſcalpi ſolet. Quod ſi* P *illud complicatum non aliud ſignificat quam* PLVSMINVS; *conſequens fit, ſequens* L *eſſe notam quinquagenarii numeri, ita ut vixiſſe dicatur Hilarus* Annos plus minus quinquaginta. *Poſtremo quod ſequitur* MS. *conſuetam habebit* menſium *ſignificationem.*

13. *At heic vereor, ne ludibrium pleriſque debeam. Quis enim umquam ſic loquitur?* Annos plus minus quinquaginta menſes XXV? *Eſtne quiſquam tam ſtipes, ut annis quinquaginta adnumeratis, ubi ad menſes ventum fuerit, quinque & viginti admetiatur? Cui ſi mens non laeva fuiſſet, nae is ſcribere debuiſſet,* annos LII. menſem I. *Huic objectioni haud ſane aliud reſpondere poſſe videbar, quam ſcalptori litteram* D *mediam excidiſſe, proinde ſcribere in animo habuiſſe* MENSES X. D. XV. *Ita unius literulae additione (quam lapicida ſomniculoſus omiſerat) epigramma ſuae ſanitati reſtituetur.*

14. *Verum quid ſi nihil ſit addendum? Nam videtur tituli hujus auctor ſtudioſe aenigmata conſectatus, atque id operam dediſſe, ut erucem, ſi non ſymmyſtis ſuis [qui probe hunc morem callebant] at certe gentilibus & poſteritati figeret. Age experiamur num quid vaticinando poſſim; an contra heic demum* Me Phoebi cortina fefellit. *Tertullianus ille, qui huc uſque minime ſuperbum, ſed contra facilem ad reſpondendum ſe mihi praebuit in lib.* De monogamia *cap. XI. ſic poſuit:* A Fide enim [*i. e. ex Baptiſmi*

(7) Apud Fabrettum pag. 558. num. XXXI. haec ipſa formula cum parvo [m] perſcribitur in hunc modum aNNoRVM PLVS mINVS XX. Item pag. 577. num. LXVII. idem elementum [m] octies ſcalpitur. Quod & alibi reperiſſe memini. Hujus autem minuſculi [m] geneſis ex majore M oritur, duabus ſcil. mediis obliquis lineis in unam rectam coeuntibus.

(8) Saepe quidem illud ſollemne PLVS mINVS ita per duas primores litteras ſcribitur, ut punctum interponatur; at ſaepe etiam junctim PM, ſine puncto medio. Sic enim junctim legitur apud Reines. Cl. XX. num. 61. 97. & 287. in qua ultima continua ſerie etiam notae arithmeticae adſcribuntur (non ſecus ac in noſtro marmore) ſic: ANNVS PMXX. Sed & in Fabretto & aliis ſic haud raro reperias. Sicuti & una continua ſerie PLM apud Reineſium Cl. XX. num. 271. & 318. At eadem Cl. num. 367. notae PLM junctim poſitae etiam lineola ſuperponitur: quae linea jungendi poteſtatem habet.

(9) PM. junctim ſcripto etiam linea ſuperne adpingitur apud Reineſium Cl. XX. 66. 197. & 342. & apud Gruterum & alios haud raro. Atqui ea lineola, uti modo notavimus, junctu rae ſervit.

Digitized by Google

mi tempore] etiam & vita noſtra cenſetur. *Quod uſque adeo verum eſt* [*uti Tertullianus ibidem ratiocinatur*] *ut qui plures ante Baptiſmum uxores habuiſſet, quam poſt Baptiſmum duxerit, ea illi prima uxor cenſeatur. Itaque huic principio innixus auctor epigrammatis hujus ſeorſum adnotavit, quantum aetatis noſter* HILARVS *poſt Baptiſmum decurrerit. Quocirca prior ſumma annorum quinquaginta ſive ad totum vitae ſpatium pertinet, ſive* [*quod eſt omnino verius*] *ad vitam ante Lavacrum exactam: poſterior autem ad ſpatium poſt Fidem tranſactum eſt referenda. Hanc vero alteram ſummam, ut pote brevicrem maluit in menſes, quam in annos colligere, etiam diſcriminis cauſa. Verum age, me uti vatem mendaciſſimum traduci non pigebit, quandiu teſtes ac tabulas non produxero. Habeo autem teſtes lucupleti ſſimos duos Fabretti Chriſtianos titulos: in quorum uno* [*pag.* 577. *num.* LXX.] *quoto anno* PASCASIVS *baptiſmum perceperit, deinde quoto poſt baptiſmum die* ALBAS SVAS AD SEPVLCRVM DEPOSVERIT, *ſedulo adnotatur: in altero vero* [*qui magnopere huc facit*] *de* KAMPANO *marito uxor Euphroſyne ſic ſcriptum reliquit:* QVI VIXIT MECV [*h.e. in conjugio*] AN. BENE (10) XII. MESES DVO DIES V PERIT ANN. XXXV [*haec totius vitae ſumma eſt: ſequitur vitae tempus poſt baptiſmum*] EX DIE ACCEPTIONES [*pro* acceptionis] SVE VIXIT DIES LVII. *Hoc tantum diſcriminis inter Fabretti marmor noſtrumque reperio, quod in eo diſerte ſcribitur* EX DIE ACCEPTIONIS SVAE *&c. hoc autem in noſtro ſubaudiendum relinquitur. Nec plura de hoc quantivis pretii titulo, cujus exemplum ad me benigne ſubmitti voluiſti, addere eſt animus.*

15. *Illud vero, Vir Clariſſime, me in tua ad Cangianum noſtrum epiſtola praeter cetera delectavit, quod ex ea intellexi, Beatiſſimum Patrem* BENEDICTVM XIIII. *aevo immortali digniſſimum, inter graviſſimas Apoſtolatus ſui curas, non tantum acroamata iſta, pro ea qua pollet omnijuga eruditione, paramanter fovere, iis libenter admovere aures, deque his frequentes cum ſapientiae cultoribus, quibus Aula ſtipatur, ſermones ſerere; verum etiam dum in ſpecula poſitus in omnium Eccleſiarum ſollicitudinem quam qui maxime incumbit, eumdem interea ita totum in his antiquis amoribus ſuis eſſe, quaſi ſi id unum ageret. Quod tametſi minime obſcurum mihi antea fuerat; tamen volupe fuit id ex Te potiſſimum cognoſcere, qui perdius ac pernox ad pedes illius* [*ſive ut Gamalielis Paulus, ſive ut Maria* CHRISTI] *aſſides. Et hoc igitur ſaeculi noſtri felicitati adſcribendum cenſeo: quam tum demum futuram longe maximam auguror, ſi, ut Ille ad omnes promovendarum litterarum occaſiones intentus, nihil ſibi ad erigenda jacentia bonarum artium ſtudia reliquum facit, ita nos viciſſim paternae ejus caritati impenſiſſime obſecundemus. Valebis, Georgi amantiſſime; neque aliquando impetrata ab Apoſtolico Sanctiſſimo benedictione, recreabis.*

Neapoli poſtrid. Id. Januar. An. 1745.

[10] Reſpondetne iſtud BENE phraſi Italicae *Ben dodeci*, & quod ex Hiſtoria Cortuſiorum citat Cangius, *Bene quadringenti venerunt, Bene centum fuerunt interfecti*? An refertur ad MECVM? ut idem ſit quam SINE QVERELA, SINE IVRGIO &c. quae trita ſunt in conjugum elogiis.

VIII. Hac vero Patrui mei epiſtola accepta Georgius, mirum quanto ſe exſultare gaudio ſignificavit. Duo enim inſolita monogrammata evoluta fuiſſe, & myſteria quaedam palam reſerata, praedicabat, quaeq. plura ex ejus epiſtola (VII) licebit cognoſcere.

IX. In-

(VII) Quae ſic incipit. *Roma 26. Marzo 1745. Ricevei... a' 16. del preſente meſe l'aggiunta alla ſua eruditiſſ. lettera, e vedo che colla ſolita ſua profonda dottrina ha ſpie-*

IX. Interea temporis Romae menſe (VIII) Aprili e Palearini typis epiſtola Patrui prodiit, ſumma quidem fide (praeter mendas operarum perpaucas) in omnibus edita; niſi quod tantum in Inſcriptionis forma lignea, quae initio proponitur, aliter ac nuntiatum Patruo fuerat, duo illi litterarum nexus ſeſe haberent. Nam verſu altero duae priores litterae vocis FEDE complicantur: quod tamen adeo Patrui explicationi non officit, ut potius juvet. At verſu ultimo P illud non tribus (uti nuntiatum fuerat) ſed duobus tantum tranſverſis ductibus interſecatur. Et hoc quoque ferendum fuiſſet (quid enim? iſto modo in illo nexu tantum littera L deperiiſſet, qua ad conſtituendum PLVS minime indigebamus; at Σ jacens adhuc ex duabus tranſverſis lineis & orbe litterae P efficitur, ut PLVS MINVS deſignetur) ferendum, inquam, fuiſſet, niſi iidem illi traſverſarii ductus parum exporrecti foras exhiberentur, itaut parum cum nexu illo Patrui explicatio typis edita componi poſſet. En totam formae ligneae a Palearino excuſae (quantum quidem inciſor meus aſſequi ſcalpello potuit) effigiem.

X. Ita-

ſpiegato chiaramente il Monogramma, le cifre del quale non ſo chi altre mai fra tutti i letterati dell'Europa poteſſe ſciorre. (quae ſunt fateor hyperbolica, ſed tamen a Georgii humanitate profecta) *Reſta ora dunque che preſe dall'originale dall'intagliatore le due lettere che formano i due Monogrammi da lei ſviluppati, e che per la prima volta da' monumenti antichi verranno alla luce illuſtrati dalla ſua vaſta erudizione, ſi penſi alla ſtampa, come piacendo a Dio ſeguirà.* Mitto laudes ceteras, in quibus ſane quam nimius eſt.

(VIII) Eo menſe id opuſculum prodiiſ-

X. Itaque amice de eo Patruus cum Georgio expoſtulavit, non committendum ratus, ut nexu, cujuſmodi antea deſignatus fuerat, ſublato de medio, ipſe ludibrium lectori deberet: quippe quum in marmoris explanatione trium tranſverſorum ductuum ratio redderetur, dum interim in forma, quam Palearinus in ligno incidi fecit, duo vix conſpicabiles exhiberentur. Hac Patrui querimonia ille accepta, humanitate ſumma ita totam ejus rei culpam in ſe tranſtulit, ut tamen, quo ſe modo ille nexus haberet, adhuc in dubio relinqueret: de quo ejus (IX) epiſtola videatur, menſe Junio conſcripta.

XI. Nec de eo lis ulla poſtea fuit; quum ecce in Romano litteratorum Diario menſis Junii ejuſdem anni Mazochianae epiſtolae epitome non ſine laudibus (quas Patruus in re exigua profitetur non meruiſſe) prodiit. Ejus epitomae exemplum quum plura ſupraſcriptae narrationis capita doceat, heic non invitus ſubjeci.

Alexii Symmachi Mazochii, Canonici Neapolitani, & Regii Sacræ Scripturæ Interpretis Epiſtola, qua veterem Inſcriptionem Chriſtianam, nuper in Cœmeterio Prætextati via Appia detectam, interpretatur, & illuſtrat. Romæ apud Fratres Palearinos 1745. *in* 4. *p.* 12.

ARTICOLO XXIII.

E' Uſcita poco fa da' noſtri torchj queſta erudita lettera del Signor Canonico Mazzocchi, la quale contiene la ſpiegazione di un' antica, e ſingolare Iſcrizione Criſtiana recentemente ritrovata ne' ſagri Cimiterj di Roma. Prima però di riferire la ſoſtanza della detta ſpiegazione, ſtimiamo ben fatto di premettere, che la mentovata Iſcrizione nel meſe di Dicembre del paſſato anno è ſtata cavata dal Cimiterio, detto di Pretestato, poſto accanto alla Via Appia, in ſito profondo, e ripieno d'acqua; ciò non oſtante le oſſa che ſtavano dietro all' Inſcrizione erano molto ben conſervate, ed anche il cranio, e dalla mole dimoſtravano di eſſer

ſe, intelligitur ex ejuſdem Cl. Georgii litteris. *Roma 27. Aprile. Eſſendoſi ſtampata la eruditiſſ. lettera di V.S. Illuſtriſſima intorno all' Iſcrizione d' Ilaro dal noſtro libraio Pagliarini... mi prende la libertà d' inviargliene ...*

(IX) *Roma 15. Giugno.... La colpa del Monogramma P coi tagli è tutta mia; perche quando per la ſeconda volta vidi l' Iſcrizione, mi parve che vi fuſſero due tagli ſopra l' orbe del P. Ma poi quando vi ritornai col profeſſore che l' ha inciſa, egli coſtantemente fu di aviſo, che i due tagli ſopra non vi foſſero, ma che foſſe tale, e quale egli lo delineò... Se dunque V.S. Illuſtriſſima conoſce, che da queſto Monogramma poſſa la ſua ſpiegazione non piacerle, e non avendo veduto l' originale, ſi fia appoggiata alla fede mia, attribuiſca pure la colpa a me, perche l' errore è tutto mio....* Idipſum Patruo inculcat litteris aliis, totam in ſe derivans culpam. Nec tamen eum urgente Patruo, ut iterum ipſe eruditis oculis lapidem inſpiceret (quis enim in talibus inciſori inerudito credat?) id illi per occupationes licuit. Itaque adhuc quo ſe modo ille nexus haberet, incertum fuit. Nec de eo tamen uſque ad hunc Novembrem menſem Patruus ſeſe anxium praebuit, uti poſtea dicetur.

ſer di uomo di grande corporatura . Non fu ivi ritrovata l' ampolla col ſangue , o altro iſtrumento , o ſicuro indizio di Martirio . Fu ſubito da' cavatori portata l'Inſcrizione a Monſignor Fra Silveſtro Merani , Sagriſta Pontificio , a cui è appoggiata la ſopraintendenza del detto , e di alcuni altri Cimiterj ; ed eſſo ne recò toſto la notizia alla Santità di Noſtro Signore BENEDETTO PAPA XIV. , il quale , benche Maeſtro di tutti anche in queſto genere di erudizione , volle nondimeno che la copia della già detta Iſcrizione foſſe data ad alcuni Letterati di Roma , affinche la interpretaſſero . Venne in penſiere nell' iſteſſo tempo a Monſignor Domenico Giorgi Cappellano ſegreto della Santità Sua di comunicarla al Signor Canonico di Napoli Aleſſio Simmaco Mazzocchi , celebratiſſimo Letterato , com'è noto al Mondo erudito , e il Sig. Canonico gli riſpoſe con una erudita lettera Latina , ove con quella erudizione ch'è propria di quel grand' uomo ne fece l'interpretazione . Eſſendoci dunque capitata in mano eſſa lettera , abbiamo giudicato di pubblicarla colle noſtre ſtampe , e prima abbiamo con diligenza fatta delineare ſull' originale l'Iſcrizione , e l' abbiamo fatta incidere , e porre nella lettera del Canonico Mazzocchi , e quì ancora la produciamo.

La ſingolarità dell'Iſcrizione , come ognun vede , conſiſte nella formola *Fede cuſtitutus* , con barbara maniera di ortografia inciſa nel marmo dallo ſcarpellino , la quale formola finora non ſi è veduta in alcun monumento Criſtiano . Ora il Signor Canonico è di parere , che queſta formola voglia dire lo ſteſſo che *Fidelis* , *e battezzato* , e lo prova con Tertulliano , preſſo cui *ante Fidem* , e *poſt Fidem* è l'iſteſſo che *prima* , o *dopo* il *Batteſimo* , il quale dal medeſimo Tertulliano vien detto *Fidei ſacramentum* . Si fa poi il Sig. Canonico una obbjezione , ed è , che la formola *Fide conſtitutus* eſſendo l'iſteſſo che *Fidelis* ; per qual motivo dunque l'Autore dell' Iſcrizione ha omeſſa la parola *Fidelis* , ed ha piuttoſto voluto ſervirſi della già detta formola ? Riſponde , che l' Autore ha voluto ſervirſi di parole oſcure , ſeguendo l'antica coſtumanza de' Criſtiani ne' loro monumenti oſſervata , a riguardo della diſciplina dell'arcano , ſecondo la quale nelle Iſcrizioni oltre a i ſimboli della *nave* , dell' *ancora* , delle *colombe* , e del *monogramma di Criſto* , parlandoſi appunto del *batteſimo* ricevuto , ſi dice *accepit* , o *percepit* , ſenza alcun' aggiunta di altro vocabolo , ſottintendendoviſi il *batteſimo* . Per dimoſtrare poi il Sig. Canonico la connеſſione dell' altra formola immediatamente antecedente IN PACE , riflette , che la prima lettera della parola *Fede* , non è una ſemplice F , ma un monogramma compoſto di tre lettere E , T , F. e voglia con ciò ſignificarſi , che ivi ripoſava *Ilaro* non ſolo aggregato nel numero de'Fedeli per mezzo del *batteſimo* , ma unito ad eſſi in carità , e morto colla pace e comunione della Chieſa Cattolica .

Un'altra particolare oſſervazione fa ſopra la lettera , poſta nell' ultima linea dell'Iſcrizione , la quale non eſſendo ſemplice , ma intrecciata con altre lettere , è di opinione , che anche queſta ſia un monogramma , e contenga le lettere PL. M. e voglia dire PLVS MINVS ; formola ſolita ad uſarſi nelle Inſcrizioni . A prima fronte ſembra un poco ſtrana queſta interpretazione , e pare che il ſenſo naturale delle due note PL. MS. debba intenderſi per PLVS. MINVS . Ma ci fa ſapere il Signor Canonico , che negli antichi monumenti , la voce *minus* non ſi ritruova mai indicata colle due lettere MS , bensì colla ſola M. accompagnata colla P. antecedente , ovvero colla N. leggendoviſi MN. cioè *Minus* . Vuole per tanto che debba intenderſi la nota M S. per *menſes* , e non *minus* . Che maniera di eſprimerſi dunque ſarà mai queſta , ſegue ad oppoſi il Signor Canonico , col dirſi nell' Epita-

fio ,

ſio, che *Ilaro* viſſe *anni cinquanta, e meſi venticinque*. Quì egli colla ſua ſolita profonda erudizione ci fa ſapere, che nel marmo d' *Ilaro* ſi computano primieramente tutti gli anni della ſua vita, e poi il tempo ch' è vivuto dopo ricevuto il battesimo, il quale ſi calcola a meſi *venticinque*. In prova di ciò egli accenna due Iſcrizioni preſso il Fabretti alla pag. 577. nelle quali ſi vede una indicazione conſimile. Ed ecco il contenuto dell' erudita Epiſtola intorno all' Iſcrizione d' *Ilaro*, ſopra la quale, ſe gli eruditi penſeranno per avventura qualche altra coſa diverſamente dal Sig. Canonico, lo ſtaremo a vedere; e intanto noi abbiamo il merito di averla colle noſtre ſtampe divulgata, e fatta comune al pubblico. (*)

XII. Quum autem ad ejus epitomae finem eruditorum ingenia ad conferendam ſymbolam excitarentur, ut ſiquid aliud excogitare poſſent, afferrent in medium; ecce tibi P. Ludovicus Sabbatinus V. Cl. quum ſe peti unum intelligeret, in ſe ora omnium vultuſque converti, ut afflictis *Hilari* rebus ſuccurreret; proſiluit in medium, nec committendum duxit, ut in re tali ac tanta, in qua ſcilicet litterariae rei ſalus verteretur, reip. temporibus deeſſet. Quae non eo dico, quaſi qui Sabbatino arrogantiae invidiam apud eruditos creatum eam, a qua eum labecula libentiſſime abſolvo. Verum homo cetera moderatus ita ſeſe inconſulto geſſit in hoc negotio, imo, ut vere dicam, ita quibuſdam famae ſuae (haud mala fide, opinor) inſidiantibus indulſit, tamquam ſi re vera magnifice de ſe ipſe ſentiret, qui ab eo animi vitio ceteroqui longiſſime abeſſet.

XIII. Itaque, uti narrare inſtitueram, menſe (X) Junio tantae rei molem aggreſſus, a fundamentis ipſis h. e. a ſtudio lapidario (non univerſo quidem, ſed tantum Chriſtiano) exorſus eſt Noſter, atque attritu igniarii

Tum primum ſilicis ſcintillam excudit Achates.

Quid quaeris? menſe Junio exorſus, Epiſtolam Latinam cum ſuis amicis excudit, quam quadrimeſtri elimatam induſtria menſe Novembri hujuſmet anni tandem emiſit. Cujus epiſtolae virtutes (XI) ſuperfluum eſt heic dicendo exſequi: quas quilibet per ſe melius

B guſtare.

(*) Hoc loco in Romano Diario inſeritur forma lignea inſcriptionis Hilari, eadem plane, atque ea, quam habes ſupra num. IX. pag. 14.

(X) Hic temporis articulus conſtat ex initio Sabbatinianae Epiſt. ſupra ſect. 1. verſ. 7.

(XI) Imaginem Sabbatinianae epiſtolae ſi a me quaeras, hanc veluti rudem adumbrationem habeto. I. Sollemne illud CVI BONO? (quod a Caſſio ICto ubi primum didiciſſem, numquam id eradere ex animo potui) tum in toto opere, tum in partibus ſingulis fruſtra requires. Nam quod ad opus univerſum attinet; rogo, *cui bono* ponderoſam epiſtolam edidit? nempe ut Romanis viris eruditiſſimis novam interpretationem elicientibus, ipſe obtruderet antiquiorem *caelo & chao*. Nam hoc ipſum (vixiſſe ſcil. Hilarum *annos plus minus XXV.*) omnes obtutu primo Romani viri ornatiſſimi jampridem ediderant. Quid tu igitur novi affers, bone vir? Jam de partibus ſingulis; *cui ne bono* illa ſollers perveſtigatio, quoties ANNVS pro ANNOS in vaſto inſcriptionum oceano reperiatur? quoties corcula voces dirimant? quot modis erranti lapicidae illud PLVS MINVS

guſtare poterit. Itaque eam heic ſubjicere operae pretium fuerit, & quidem ad prioris editionis exemplum recenſitam (nam & eamdem mox ſecundis curis recudit) non ſine variantibus lectionibus, & animadverſionibus quibuſdam. Ea in fronte (nec enim quidquam de Sabbatini vigiliis deperire cupido lectori volo) ſic habet.

LVDOVICI SABBATINI DE ANFORA Congreg. Pior. Operarior. Presbyteri EPISTOLA ad Eminentiſſ. & Reverendiſſ. Dñum D. IOACHIMVM BESOZZI S.R.E. Card. Ampliſſ. omnigena eruditione eximium: Super (*) Inſcriptionem quamdam vetuſtam in Coemeterio Praetextati Via Appia nuper detectam.

Intus vero ſic inſcribitur.

Eminentiſſ. & Reverendiſſ. Dño D. Joachimo Beſozzi S.R.E. Card. Egregio. Ludovicus Sabbatini de Anſora Congr. Pior. Operarior. Presbyter S. P. D.

1. QVum paucis abhinc diebus in Cl. Viri D. Matthaei Sarno percelebri Bibliotheca cum permultis eruditis Viris adeſſem, ſermo de quadam Epiſtola Cl. Alexii-Symmachi Mazochii Canonici Neapolitani, ac Regii Sacrae Scripturae Interpretis inſtitutus eſt, qua veterem Inſcriptionem Chriſtianam, nuper in Coemeterio Praetextati Via Appia detectam, interpretatur, & inluſtrat: quae mihi haud nota erat, quum a quinto Idus Januarias, paucis exceptis diebus, quibus Romae [1] fui ad labentem uſque Junii menſem in Miſſionibus, ſecundum meae Congregationis Inſtitutum cum in Campania felici, tum in Lucania Regni Neapolitani Provinciis, fuerim commoratus. Quumque eruditi Viri eo in loco adſtantes meam de Mazochiana interpretatione ſententiam expoſtularent [2] mihi eam non adri-

NVS aliter ac modis conſuetis exciderit? & cetera ejuſdem furfuris, quae, ut alibi adnotamus, juſtam *Maſoram lapidariam* abſolvunt. II. Perpetuum in Sabbatinianis hiſce emicat illud Horatii, *Dicenda tacenda locutus*, & Tullianum *Quidquid in buccam venerit*. III. Ipſe ſua ſibi ſaepiſſime, ut ajunt, vineta ſuccidit, damnoſus ſibi, nulli commodior quam adverſario. IV. Argumentationes vero (quas *demonſtrationes Mathematicas* vocat) quam recte Auctori procedant, non queo dicere. V. Sicuti nec de Latini ſermonis elegantia poſſum pro dignitate eloqui. VI. At orthographia certe (quam alicubi *lapidariam* appellavimus; quippe eam ſibi normam ad imitandum propoſuit) talis eſt, cujuſmodi nec in Scipionis Barbati elogio (quod Sirmondus explicuit) nec in Duillii columna roſtrata admirari adhuc potuimus. Nam praeter illam novi generis interpunctionem (qua fruantur lectores, cenſeo) praepoſitiones in omnibus omnino compoſitis integras ſibi ſervandas eſſe ſtatuit; idque ita animo ſuo obſtinavit,

Vt tum mirifice ſperaret ſe eſſe locutum,
Quum quantum poſſet dixerit ADCIPIO,

Sic etiam ADFERO, ſic INLVSTRO, ſic cetera omnia ritu Carminis Saliaris; tamquam ſcil. ſi in eo ſint omnia. De ceteris lector ipſe judicium per ſe feret.

(*) A titulo uſque operis jam deliciae Latinitatis incipiunt. Dubitatur enim, utrum SVPER inſcriptionem ipſam ſedens Epiſtolam ſcripſerit, an mox ut ſcripſit, eam Hilari inſcriptioni SVPER poſuerit.

(1) *Id populus curat ſcilicet.* Ter.

(2) Id eſt *vehementer* & prope uſque ad convicium *poſtularent*: quam notionem ei verbo ſubeſſe virum clariſſ. neſcire unum non arbitror. Nimirum eo res redit. Quia viri lectiſſimi, qui in eruditiſſimi Sarni noſtri bibliothecam confluunt, ab hujus ore unius pendent; nec aliud, quam quod is adprobat, fixum habent; ea cauſa merito *expoſtulant*, expromat quid ſentiat. Tantum ne ſibi tribuit Pater? Nolim ſane credere. Imo potius praeſtabit, opinor, totam culpam hanc transferre in typographum (cujus ſupinitate vehemens compoſitum pro ſimplici irrepſerit) quam ſuſpicari, arrogans dictum ab viro Apoſtolico extundi potuiſſe.

Digitized by Google

adridere adſerui aperte [3]: quodque ſcripto ſtatui comprobare; ac in eodem eas rationes ex ordine adferre, quas verbis inordinate, & ut mihi animo quaerenti ſuggerebat mens, eo tempore protuli: Adſentationis enim vitium ab incunabulis, ſi ita mihi loqui fas eſt, ſemper ſum [4] execratus: Adſentatoreſque omni tempore effugi, ac ſum adſpernatus: Cum Eraſmo [5] enim dicere poſſum (6) *ad Johannem Padulanum tom. 4. op. col. 552. lit. A poſt* Panegyricum Philippi; *A quo profecto vitio, te in primis teſte* (ait Eraſmus; *omnibus amicis meis teſtibus*, ego adſero) *ſi: abhorrui ſemper, ut ne poſſim quidem adulari cuiquam ſi velim, neque velim ſi poſſim*: Qua de cauſſa quum adlata interpretatio a Cl. Viro ſcriptis tradita, meae ſententiae non ſatisfeciſſet, libere quod cenſebam adſerui: effatum illud adhibens, ne tanti viri mecum amicitia junčti [7] amicitiam, inquam, laederem; *Amicus Socrates, Amicus Plato, magis Amica Veritas*.

(3) Digna homine ingenno παρρησία.

(4) Et id in viro praeſertim Apoſtolico laudo. At vide, ne *In vitium ducat culpae fuga* (quod uſu ſcrupuloſis venire ſolet) teque in moleſtas oppugnationes abripiat. Nam, niſi fallor, ad aſſentationem vitandam ſatis fuerat nihil eorum a imitere, quorum artem turpiſſimam Gnatho apud Comicum (Eun. II. 2.) profitetur.

Eſt genus hominum, qui eſſe primos ſe omnium rerum volunt,
Nec ſunt. Hos conſector: hiſce ego non paro me ut rideant,
Sed eis ultro arrideo, & eorum ingenia admiror ſimul:
Quidquid dicunt laudo: id rurſum ſi negant, laudo id quoque:
Negat quis, nego: ait, aio: poſtremo imperavi egomet mihi
Omnia aſſentari. Is quaeſtus nunc eſt multo uberrimus.

Ceterum ſi uſque eo tendas, ut in re prope dixerim frivola (ubi certe de ſumma Fidei non agitur) arma corripias, & obvium quemque impetas; vide quaeſo, quo te demum ſcrupuli iſti tui adegerint. *Vt ſis vitalis, metuo*. Hor.

(5) At vide, Pater mi, ex quo haurias. Nam ille

Foenum habet in cornu: longe fuge:
dummodo riſum
Excutiat ſibi, non hic cuiquam parcet amico.

(6) *Ad Johannem*, inquit, *Padulanum tom. 4. op. col. 552. lit. A. poſt* Panegyricum Philippi. Hactenus citatio eſt: in qua tamen, qua ex editione citet, quod unice intererat, miſſum fecit. Mirum hominis judicium! Verum iſta tam moroſa citandi diligentia (qua me miſerum, de turba forenſi unum, deſerere vadimonium coegit Pater)

2. Num ingentem exſpectationem ciet. Et inauditum certe aliquid ex Eraſmo allaturus eſt. Quid iſtuc tandem rei erit? Incipit. *A quo vitio ſic abhorrui ſemper, ut ne poſſim quidem adulari, ſi velim, neque velim ſi poſſim*. Papae! quam nova, quam acuta ſententia! Huccine ſpectabat tam ſedula columnae, verſus, ac terminalis vocalae deſignatio, ut ea tandem depromeret, quibus ſimilia ac meliora lippi juxta ac tonſores quocidie effutiunt? Anne, ſi numquam hoc Eraſmus ſcripſiſſet, minus id verum eſſet? Hoc ſimile concionatoribus illis eſt, qui ubi ſic initio propoſuerint: *Tutti abbiam da morire*: numquam ſibi ſatisfeciſſe purant, niſi plauſtra citationum & auctoritatum ſuper eo congeſſerint. Quamquam quid concionatores incuſo? quum nobis pragmaticis citandi cacoethes ſupra ceteros inſideat.

Sed & Eraſmianae ſententiae accommodationem, quam parentheſi inſeruit, quo piaculo praeterieram? Sic enim concionator noſter interponit: *TE.. TESTE, ait Eraſmus: OMNIBVS AMICIS MEIS TESTIBVS ego adſero*. Nam hoc quoque totum ex concionatorum quorumdam palaeſtra deprompſit, apud quos vix alius quam accommodatitius ſenſus regnat: deinde iidem de accommodando plurimum ſatagunt.

Verum ecquis erit jocandi finis? Quare amoto ludo negotium tranſigamus. Jam enim ſub initium ſect. 2. Patruum meum obtorto collo ad judicis tribunal rapit. Cui judicio me quidem certe, ſi non ut patronum, at ut advocatum, intereſſe pietas cogit.

(7) Quamquam ſi de amicitia ſancte, uti decet, culta decertare libeat, vincet eo certamine pluribus de cauſis Patruus, vel ipſo *Laelio* judice, cui ejus argumenti Dialogus Tullianus inſcribitur.

2. Num eamdem veterem Inſcriptionem detectam nuper recte Mazochius expoſuerit, an ego ſim interpretatus, Te, Princeps Opt., judice [8] utar. Inſcriptio iſthaec eſt;



3. Quum plura protuliſſet, & erudite [9] more ſuo, circa illa verba, *Fide conſtitutus*,& *in Pace* Alexius Symmachus Mazochius, ad illa verba explicanda tranſit, quae Inſcriptionem concludunt; *Vixit annus &c.* Statuit ergo *fol.*8. & in notis literula [10] *a* literas PL.pro *Plus* exponi poſſe, MS.autem numquam pro *Minus* uſurpari. Adſerit deinde *P.* eo modo, quo in Inſcriptione legitur, eſſe cum m minuſculo [11] junctam, proindeque *Plus Minus* per ſolam literam *P.* exprimi; *MS.* autem menſium habere ſignificationem: Deinde ſubdit *fol.*9. [12] *At heic vereor, ne ludibrium pleriſque debeam. Quis enim umquam ſic loquitur? Annos plus minus quinquaginta, Menſes XXV. Eſt ne quiſquam tam ſtipes, ut annis quinquaginta adnumeratis, ubi ad Menſes ventum fuerit, quinque & viginti admetiatur? Cui ſi mens non laeva fuiſſet, nae is ſcribere debuiſſet* Annos LII.Menſem I.*Huic objectioni haud ſane aliud reſpondere poſſe videbar, quam ſculptori litteram D mediam excidiſſe, proinde ſcribere in animo habuiſſe MENSES X. D. XV. Ita unius litterulae additione [quam lapicida ſomniculoſus omiſerat] epigramma ſuae ſanitati reſtitueretur.* Aliam adhibet etiam interpretationem; nempe vixiſſe Ilarum annis L., menſibus autem XXV a Baptiſmi tempore.

4. An-

(8) Ne Patruus quidem Eminentiſſimi, eiuſdemque incorruptiſſimi ac doctiſſimi Judicis declinare forum vult, neque debet. Jam ergo judicio experiamur.

(9) Benigne.

(10) Prioris edicionis ſcil. At in hac quaere ſect.9. & Adnot.6.

(11) Imo (quod ſect. 11. magis, imo unice Patruus adprobat) cum majuſculo jacente in hunc modum Σ. Haec vero referenda ſunt ad modulum Monogrammatis ei a Cl. Georgio tranſmiſſi; quod poſtea in forma lignea Romae excuſa inſigniter variavit, uti ſupra enarravimus. Vel cum ea tamen varietate res eadem bene procedit.

(12) Hoc eſt ſect.13.

4. Antequam ad alia progrediamur ; ecquis eſt , qui non videat , in his Mazochii interpretationibus, ipſum erudite fuiſſe loquutum , non autem interpretationes , ſed divinationes protuliſſe ? Quum in Inſcriptionibus literarum [13] verborumque omiſſio tunc ſupplenda ſit, quando ex eadem liquet vere vel omiſſas fuiſſe, vel temporis diuturnitate conſumtas. Si enim ita Inſcriptiones velimus exponere , ut dicamus, idque placito noſtro, hic iſta ſunt verba adponenda, ac ibi iſtae literae ſupplendae ſunt ; paulatim Inſcriptiones vetuſtae quidquid velimus innuent nobis .

5. Adlatam ergo Inſcriptionem ſic[14] interpretor;*Hic requieſcit in pace,in fide conſtitutus Ilarus,qui vixit annos plus minus XXV.*Sed dices heic; Adlata Interpretatio plana eſt,& aperta,ac prima fronte quilibet eam dabit,ſi eamdem ſimpliciter leget.Quid autem reſpondeam ? Veram eſſe Interpretationem inferius probabo : Si autem vera eſt,quod ſimplex ſit (15),erit ne malum?Ea enim,quae ad vetuſtum monumentum inluſtrandum veritati conformia ſunt,eruditi (16)eſt,non ea,quae ex invento profluunt. Singula inſpiciamus .

6. *Hic requieſcit in pace*:Mazochius *pag.*7.(17)cenſet illud *in pace* cum ſequenti *Fide* nexti debere ; atque hunc praebere ſenſum ; *In pace, & fide* : particula autem *et* in complicato elemento primae literae vocis *Fide* contineri , in qua quum quatuor ſint tranſverſariae lineae paralellae non ſimpliciter *Fide*,ſed *& Fide* legendum eſt. Subtilis interpretatio , ſed quae mihi non ad rem videtur : quodque ex tribus conjicio : Primum eſt,literarum complicationem nullibi in hac Inſcriptione reperiri, ut legenti patet : Quare ergo in prima litera vocis *Fide* abſque rationabili cauſa adponenda eſt ? Secundo , quum illa verba *Fide conſtitutus* idem meo judicio ſonent , ut inferius dicam , ac *Fidelis exiſtens*, optime ſine additione *et* Inſcriptio interpretatur , ſi dicamus, ſic intelligi debere ; *Hic requieſcit in pace , qui in Fide Catholica vixit Ilarus &c.* Tertio, ſi vocem *Fide* in Inſcriptione inſpicias,Princeps optime, quod dico noſcitur, & aperte noſcitur: Nam vel dicas in Inſcriptione legi *Fide* , vel pro *Fide* , *Fede* ; ſi legitur *Fide*, ac ſecunda litera eſt I ; peto quid innuit linea ſuperius protracta,ut exprimitur *E* , & alia lineola paralella in medio? Si pro *Fide* , *Fede*, & quidem barbare,Inſcriptio habet, rationem habes , cur in medio F duae lineolae paralellae inſpiciantur ; Lapicida enim aliter primam, ac ſecundam literam ſcalpere voluit ; ſecundae unam lineolam in medio adponens , nempe literae *E* , primae autem nempe F duas, ut *F* ab *E* diſtingueret [18].

(13) Vir bonus, quid *Monogramma* ſit, aut quid valeat , non dum fando audivit . Alioqui quo litteras aut verba ex alieno arceſſi conquereretur,quae in nexu delitent?

(14) Adde ſis : *Nec primus, nec forſan decimus , ſed centeſimus ita interpretor* . Nam multo antea Romani omnes viri ornatiſſimi (teſte Diario litterario & epiſtol. Georgii) ſic accipiebant.Et quis non obtutu primo ſic acciperet ? At me, inquis , juvat actum agere. Agas quamdiu voles . At ultimus ſaltem, ſat ſcio, ita interpretabere ; poſtea certe quam ad finem *Recenſio* iſta proceſſerit .

(15) Styli ſimplicitatem lapidariam per omnia affectat .

(16) Et quia ſoloeca in lapidibus haud raro occurrunt ; heic malitioſus homo de induſtria ſoloeciſat , ſingulare verbum cum recto plurali jungens . Nam in utraque hujus operis editione uno modo legitur.Quamquam quid ego ſoloeciſare hunc ſomnio , qui re vera graeciſſat? Eſt enim Graeca ſyntaxis , qua neutrum plurale cum verbo ſingulari convenit, ut ἴσαι φάραι καλῶς. Sic Noſter etiam : *EA enim , quae . . . conformia ſunt , eruditi EST* . Et tamen hunc Noſtrum Graece neſcire calumniantur. Quo ore ? quum graeciſſet vel incogitans .

(17) Hoc eſt ſect.7. & 8.

(18) Ecquis mihi Gordium nodum hujus miri dilemmatis expediet ? Nec caput neque pes .

Jam vero quod verſu 10. FIDE CONSTI-

7. *Requieſcit in pace*. Hoc *in pace*, quod in Chriſtianis titulis reperitur, de pace Eccleſiaſtica eſſe adcipiendum, ſive de communione, per quam veluti glutinum membra in unum corpus coaleſcebant, cenſet Mazochius, & erudite *pag.4. in notis literula b* [19]: Sed diverſo ſenſu in veterũ Chriſtianorum tumulis fuiſſe adpoſitum cenſco, & pro comperto habeo. Quandóque pro quiete, qua defunctorum oſſa gaudent, veteres hanc vocem uſurparunt: Unde *ap. Aringum tom.1. Romae Subterran.lib. 2. cap.10. fol.338. col.1. & lib.3. c.3. fol.418.*, paſſimque apud alios legitur, *dormit in pace*: Quod vel de pace, qua ibidem [20] oſſa fruuntur, vel de pace, quam habet anima [21] ut dicemus infra, eſt profecto intelligendum. *Apud Aringum tom.1. Romae Subterraneae lib.3. c.22. fol.610.* ſic lego *col.2. Oſſa tua bene requieſcant.* Hucque ſpectat, ni fallor, illud, quod in Chriſtianorum ſepulchris legimus, nempe malum, quod oſſium exturbatoribus, ut ita dicam, imprecantur defuncti: Quodque permultis dicendi formulis a veteribus peractum eſt: *Apud Cl. Ludovicum Muratorium to.3. Vet.Inſcript. pag. MCCXCVIII. num.5.* ſic lego;

Trado

STITVTVM interpretatur eum, qui *in Fide Catholica vixit*, id ab antiqua perpetuaq. loquendi conſuetudine aberrat; nam haereticos, quum *Fidei* Sacramentum h.e. Baptiſmum perceperint, *Fideles*, non *Infideles* antiquitas vocavit: de quo Patruus in Epiſt. poſteriore. At quia haeretici extra *Pacis Eccleſiaſticae* glutinum ſunt; idcirco Hilarum ſe *in Pace & Fide conſtitutum* dixit. Porro illud ET qui in litterarum nexu non vident, eos non modo luſcitioſos, ſed caecos natos oportet eſſe.

(19) Editionis Rom. At in hac vide ſect.2. & ſeq. & Adnot.2. & alibi.

Ex quibus locis elicitur Patruum contempliſſe, plerumque (non enim dixit *ſemper*) *Pacem* eo ſignificatu accipi. Quo poſito, quae hinc uſque ad totam ſect.9. argumentatur Pater (etiamſi recto ſtarent talo) ſuapte ſponte concident. Et exempla inſcriptionum quae profert, ſunt de trivio omnia (ac nuſquam non meliora reperias) neq. huc faciunt.

(20) At hic ſenſus profanus eſt, & ex gentilium ſchola (cum quibus heic incogitans vir bonus facit) petitus; apud quos ſepulcrum millies in lapidibus *Domus aeterna* vocatur. Quid enim facerent, qui non haberent *ſpem meliorem*? At Chriſtiani, quid eſſet *Dormire in pace*, ex Scripturis didicerant; in quibus *Dormire in pace*, & *Dormire in Domino* unum idemque ſunt.

(21) Satis ſalvae res ſunt; nunc enim primum ex gentiliſmo reſipuit. Tantum rogo, ut praecalens *VEL* (quod ei adhuc de gentiliſmo inſidet) penitus eradicet. Sed volo tandem cum Noſtro redire in gratiam. Age, etiam ad corpus illud IN PACE pertineat; ſed tamquam Dei Templum, nuper animae copulatum ac denuo copulandum, cumque ea ὁ ἐν (*unum*) efficiens, & conſors futurum gloriae. At iſto modo res etiam ad *Chriſtianam pacem* (non ad profanam *Domus aeternae* requiem: pro qua miror, cur Noſter decertet) redibit.

Poſtremo, quo indicio Patruus meus illud IN PACE de Chriſtianae communionis glutino intellexerit, duobus tribuſve verbis ſatis is luculenter oſtendit tum ſect. 2. tum in Adnot. 1. & 2. de quibus parum ſe ſollicitum praebuit oppugnator. Etenim BENEMERENTIS vocabulum in Chriſticolarum elogiis ad meritum theologicum eſſe referendum, aperte ibi docetur. Jam vero in eiſdem titulis nuſquam ferme non haec duo jungnatur BENEMERENTI IN PACE. An igitur in hac triciſſima formula *Pax* alia quam Eccleſiaſtica capi poteſt, ſine qua certe meritum nullum poteſt cuiquam proceſſere? His adde Muratorianas duas epigraphas, quas Auctor (Patrui mei ſtudens commodis, ſibi uni ſemper incommodus) ſect.12. proculit; in quarum una *Aetherius...Fidelis in pace*, in altera *Fidelis in pace Aemiliana* ſcribitur. An poteſt in his alio *Pax* quam ad eam *Communionem*, in qua Fides eſt, referri? Verum de his pulcherrimis elogiis alibi. Denique quid apud antiquos ſcriptores tritius, quam *Pacis* vocabulum pro Communione uſurpatum? Verum quandò Patruus ſurdo cecinit fabulam; lector quivis alius judicet, quam non immerito Mazochius *Pacem* pro Communione Chriſtiana plerumque in ſaxis accipi, ſuaſerit.

Trado Dis manibus Heroum cuſtodiendum Plutoni, & Cereri, & Perſephoni, & Furiis, & omnibus Dis Manibus, ſi quis ſpoliaverit hoc ſepulchrum, vel aperiet, vel etiam aliquid aliud dimovebit, vel Ipſe, vel per alium, nec Terram ſibi ambulanti, nec Mare navigantí (Muratorius, qui Graece, & Latine hanc Inſcriptionem adfert, hic ſubdit; Subaudi, *Propitia habeat*), *ſed eradicetur in omni Generatione, omnia mala experiatur, & Horrorem, & Febrim, & Quartanam, & Elephantiaſim, & cuncta mala, & quaecumque Hominibus accidunt, ea eveniant illi, qui auſus fuerit ex hoc ſepulcro aliquid dimovere.*

8. Apud *Aringum to. 2. lib. 4. Romae Subterranae cap. 27. fol. 174. & Reineſium Claſ. XX. n. CCCCXL. pag. 999. Male pereat, inſepultus jaceat, non reſurgat, cum Juda partem habeat, ſi quis ſepulchrum hunc violaverit*: Etiam ſub anathemate in nomine Sanctiſſimae Trinitatis hoc dicitur ap. *Murator. ib. tom. 4. pag. MDCCCXLII. num.* 1. quem lege etiam *ib.* MDCCCXLV. *num.* 4. MDCCCLVIII. *num.* 5. MDCCCLXI. *num.* 3. & alibi paſſim. Non piget heic quamdam Inſcriptionem adferre, biſcentum quadraginta duobus abhinc annis in quodam tumulo adpoſitam, quae adhuc impraeſentiarum legitur in Templo S. Laurentii hujuſce noſtrae Metropoleos in Eccleſiae introitu a parva ejuſdem janua; ubi defunctus orat, ne ſua oſſa inquietent: *Jacobus Roccus Patritius Neapolitanus poſtquam Aragoneis quatuor Regibus, & apud Turcas, Aegyptios, atque alios fideliter ſervivit, domum rediens hoc ſibi condidit* 1503. *Quiſquis es hoc te ſepultus rogat, ſua ne moveas, neve inquietes oſſa: ut qui vivus numquam quievit, ſaltem quieſcat mortuus.*

9. Aliquando de pace, qua defuncti animam frui credebant, illa verba ſunt intelligenda: *Apud Aringum lib. 3. cap. 22. fol. 606. tom. 1. Romae Subterr. & Reineſium Claſ. XX. num. XLII. pag. 908.* ſic obſervo ..... *Cajano Benemerenti, qui vixit an. IIII. dies XV. anima illius in pace.* Hoc non paucis dicendi formulis adſeruerunt veteres Chriſtiani: *Ap. Muratorium tom. 4. vet. Inſcript. pag. MDCCCXXXII. num. 2. Quievit in pace: & num. 3. Aſello in pace qui vixit annu Deceſſit VI. Kal. Nob. in pace: Pag. MDCCCXXXIX. nu. 3. Dormienti in pace. pag. MDCCCLIII.* in fine; *In pace dormitio ejus: Pag. MDCCCLIX. num. 9. Exiit, & manet in pace: & num. 11. Donatus vixit annos XV & accepit requie in Deo: Pag. MDCCCLXIV. num. 4. Spiritus tuus in pace*, Quod aliis verbis aliquando expreſſum legitur; *Quieſcit in Domino Jeſu*; *ap. Gudiu de monum. Chriſtian. pag. 366. n. 4.* Vnde vel de pace, qua fruebantur defuncti (*) oſſa, vel de pace aeterna, qua ejuſdem animam a vinculis ſolutam gaudere cenſebant, illud *in pace* intelligendum eſt. Haec formula *in pace* Chriſtianis in pace obeuntibus, quandoque etiam Martyribus tributa fuit [22] ut videre eſt *ap. Aringum to. 1. lib. 3. Romae Subterraneae cap. 22. fol. 525.* Inſcriptionem S. Martyri Mario adpoſitam referentem. *Mabillonius* [23] *in ep. ſub Euſebii nomine de cultu SS. Ignotorum cap. 6. pag.* 561. poſt Praefationes &c. ex his formulis *dormit in pace*, & *quieſcit in pace*, Chriſtianorum tumulos a paganorum ſepulchris diſtingui adſerit. Sed *Cl: Muratorius* ante me obſervavit formulam *in pace* etiam Judaeis in uſu fuiſſe, quem lege *tom. 4. vet. Inſcript. fol. MDCCCLIII.* in fine.

(*) Redit ad ingenium recidivus. V. Adn. 20.

(22) Vel heic ſuo ſe jugulat gladio. Nam quia Montani, & ceterorum haereticorum ſectae ſuos Martyres venditabant; idcirco Martyribus *vindicatis* (ut Cypriani verbo utar) elogium IN PACE addebatur, quo in Pace Catholica obdormiſſe intelligerentur. Denique ut ſemel dicam *Pax Eccleſiaſtica* quid non complectitur? aut quo non valet? Ea primario ad animam pertinet, ſecundario ad corpus, ut animae organum, transfunditur. Ea vero *Pax* eſt Catholicorum teſſera, ſine qua nemo miles Chriſti cenſetur, nemo civis Sanctorum ab hoſpite & advena dignoſcitur, nemo ne Martyr quidem intra januam magni Patris familias admittitur.

(23) Hoc vero, & quod mox ex Muratorio depromis, malo noſtro, tamdiu viris doctis invideras. Sunt enim peregrina.

10. *Fide conſtitutus* : Antequam hanc formulam interpretemur, quam novam adpellat Mazochius [24] *pag.3.& ſeq.*quaeque, ipſo teſte, *doctiſſimo cuique* [*pag.3.*] *ſaliuam movit* ; quid de hac aliiſque id genus obſcuris dicendi formulis cl. vir adſerat adcipe, doctiſſime Cardinalis: *Pag.4.*[25] *Jam primum omnium* (*ut inde uſque ordiar*) *veteris Virorum eruditorum querelae de Chriſtianarum inſcriptionum obſcuritate, non aliam magis idoneam cauſam afferre poſſe mihi videor, quam ſacroſanctam arcani diſciplinam,qua per illa priora ſecula Religionis Myſteria celabantur* . Sed ego ut verum fatear, in contrariam deſcendo ſententiam: idque non Religionis myſteriis &c. tribuo, ſed vel Lapicidarum inſcitiae [26] vel Auctoris tituli ignorantiae: Quodque de una, vel altera adſero, non de omnibus,ſed de permultis pronuncio: Vt enim Chriſtianas veteres Inſcriptiones dum perlegerem obſervavi, quod etiam eruditos omnes obſervaſſe cenſeo, illae ad aurea ſecula, paucis demtis, pertinere nullatenus poſſunt: Sed quum quandoque a Parentibus liberis, non ſemel ab indoctis vel Martyribus, vel in Chriſtiana pace obeuntibus, ſaepe etiam cum metu ob Tyrannorum perſequutiones ſint adpoſitae, Martyris,vel defuncti nomen, aliaque breviter tamen,& barbare, ut melius ſciebant, poterantque, literis etiam quandoque non male, ſed peſſime ſculptis, exprimebant. De metu Chriſtianorum in iſtis inſcriptionibus adponendis perſequutionum tempore, non ſemel exemplum invenitur: Apud *Aringam tom.1. Romae ſubterraneae lib.3. cap.22. fol.524.* ſic lego; *Alexander mortuus non eſt, ſed vivit ſuper aſtra, & Corpus in hoc tumulo quieſcit, vitam explevit cum Antonino Imp., qui ubi multum beneficii antevenire previderet, pro gratia odium reddit. Genua enim fletens vero Deo ſacrificaturus ad ſupplicia ducitur. O tempora infauſta ! Quibus inter ſacra, & vota, ne in cavernis quidem ſalvari poſſimus. Quid miſerius vita ? Sed quid miſerius in morte, cum ab amicis, & parentibus ſepeliri nequeunt ? Tandem in Caelo coruſcat. Parum vixit, qui vixit IV. X.tem.* Et *fol.ſeq.* alia legitur Inſcriptio in Coemeterio Calliſti detecta, quae ſic habet ; *Tempore Adriani Imperatoris Marius adoleſcens Dux militum,qui ſatis vixit, dum vitam pro Chriſto cum ſanguine conſunſit, in pace tandem quievit* : *Benemerentes cum lacrymis & metu poſuerunt Id.VI.*

11. Vt autem ad Inſcriptionum Chriſtianarum barbariem veniamus,quae obſcuritatis earum, ex mea ſententia, cauſſa eſt ; *Non ſacroſancta*, Mazochii verba ſunt *pag.4.*, *arcani diſciplina,qua per illa priora ſaecula Religionis myſteria celabantur* ; quid innuunt tot in eiſdem verba,nec(27) mediocriter latina,& peſſime ſculpta;niſi Chriſtianos, vel perſequutionibus exagitatos, vel ex non nimis docto homine Inſcriptiones exquirentes, vel alia de cauſſa, ut melius poterant, ſciebantque, nomen, piamque mortem deſcripſiſſe ? Quod a feminis Martyres, vel ſanguine conjunctos ſepelientibus fuiſſe factum, paſſim etiam legitur. Teſtes locupletiſſimi mihi ſunt Inſcriptiones Chriſtianae veteres permultae, quas e Coemeteriis erutas adferunt Aringus, Boſius, Gudius, Fabretti, Boldetti, aliique. Memini ap. cl. virum Ludovicum Mu-

(24) Non Patruus, ſed Romani omnes quos rurſus ex Diariis litterariis ſup. pag. 15.& 16,teſtes advoco) cumq. iis etiam non minus doctrina, quam Pontificatu ſummus BENEDICTVS XIV. Vide Patrui epiſtolam ſect.1.

(25) Sectione 2.

(26) Ne Patruus quidem barbariem a Chriſtianis titulis abeſſe,eſt uſquam ſuſpicatus. Aut quis ſanae mentis id vitium a Chriſtianis elogiis amoliretur, quo major pars ethnicarum inſcriptionum alterius & tertii ſaeculi ſcatet, imo quo aevi etiam Auguſtei ſaxa aliquot ab imperitis aut peregrinis ſcalpra laborant ? Atqui non eas quaerimus cauſas, quae & protritae tironibus ſunt, nec tantas verſatis in eo ſtudio tenebras offundunt ; ſed retruſiores alias, ad quas attendere operae fuerat, eos certe, *Qui habent ſalem, qui in te eſt* » Ter.

(27) Iterum eo redit,ut ad ſaeculi barbariem

Muratorium *tom.4. vet. Inscript. pag.*MDCCCLI.*num.*1. haec legisse; *Cepasius gemine benemerenti que vicsit anis continuis XXI. &c.* Quid illa significant verba *annis* (28)

riem totam obscuritatis causam conferat. Id vero dum conatur effari, prorsus contrarium (& quidem in utraque operis editione) dicit. Nam rogo mi Pater, quid aliud est *Non mediocriter*, nisi *Valde*? Itaque quum NEC, (sequente praesertim ET) tantumdem sit quod ET NON; ecce hoc dicis: *Et non mediocriter Latinus, & pessime sculpta*. Putasti vero, sat scio, NEC tantumdem esse, quod *Ne quidem*. Atqui si non ex grammaticis, at certe ex Summulis ego & tu aeque didiceramus, *Nec* & *Non* esse *particulas malignantis naturae*. Quae praecepta nunc tibi saxorum studium de memoria excussit. Quanto ego cautior, memori qui mente reservo. At quandoquidem Noster barbariei judex severus sedet; ad tribunal suspenso accedamus pede, neque molesto barbariei judicio involvamur.

(28) *In Geminae titulo quid sit*, vixit annis continuis XXI. *ex JCtis & saxis aliis ostenditur: eaq; locutio a barbarie vindicatur.*

Quo illud, inquit, *VICSIT ANNIS CONTINVIS XXI.* quod in epigrammate Muratoriano legitur? *Numquid*, inquit, *alii sive viri sive mulieres* [adderet & tertium *androgynorum* genus; nequid scil. *adaequatae* divisioni decedat] *non continuis, sed dimidiatis* [hem quid ais? *Continui* non *dimidiatis* sed *interruptis* e regione opponuntur] *annis vivunt*? Jamque in eo exsultat, quod barbariem in uno epigrammate detexerit, ac profligarit. Euge.

At bona cum tua venia, Pater, heic saltem, ubi ad regnum forense nostrum ventum est, non queo tibi de via decedere. Non enim nosti civilia jura; quae nobis utramque paginam faciunt. Atqui aut JCti nostri meram barbariem effutiunt: aut ea locutione (*tot annis continuis*) nihil est castigatius: ut proinde *Falso suspectae Latinitatis* (titulus is est libelli H. Stephani) judicium perverteris, *litemque* (nam ea poena male judicantem manet) *tuam feceris*.

Ergo apud JCtos nihil est frequentius, quam tot *annis* aut *mensibus* aut *diebus continuis*. In quibus locutionibus *Tempus continuum* opponitur *Vtili*: coque notatur tempus continuato tot solidorum dierum, mensium, annorum numero computatum; nulla interim eorum dierum, quibus experiundi potestas non fuit, subductione facta: ejusque generis tempus etiam ignorantibus cedit. Vide l.8. D. *de his qui not. inf.* & alibi. Hinc etiam l.31. D. *ad leg. Jul. de adult.* scribitur *Quinquennium non utile, sed continuo numerandum*. Sic etiam *continui dies* opponuntur *utilibus*, quibus adeundi judicis fit potestas. Vide l.1. §. *dies* D. *de agnosc. lib.* Plura de hoc dicere non est necesse, quae legum symmistis sunt satis protrita. Quum ergo *Geminae annis continuis XXI.* vixisse dicitur, id ex forensi sermone manavit, quo tempus continuum utili opponitur.

Dices fortasse cum loquendi morem in foro, in cavendo, in stipulando & similibus locum habere, non item in epitaphiis, ubi annorum vitae summa est exponenda. Atqui, inquam, si ita se res habet; auctor inscriptionis contra sensum communem, non contra Latini sermonis munditiem peccaverit; nec barbariei ab auctore nostro damnandus erat, sed morosae diligentiae. Quid si ostendo, eamdem loquendi consuetudinem in inscriptionibus non pessimis cerni, & quidem extra forensia negotia? Apud Muratorium pag.1914. n.1. de quodam Messio Romulo tertius versiculus sic incipit: *Tum Lector Domini annis quindecim instus* (Aut est spondaicus; aut *ō iustus* trisyllabū fecit, sine ecthlipsi in *Quindecim*, cujus vocis penultimam produxit) *CONTINVIS probatusque fuit, meritoque juvatus, Aecclesiae sanctae Diaconii est ordinatus honore*. An non vides, Messium *quindecim annis continuis* lectorem fuisse? Quo vero illud *Continuis*? Nequis nempe suspicaretur, tempus *utile* Lectoratus (illud scil. solum quo Lectoris munus exercebatur) non etiam *continuum* computari. Nec dissimile est illud, quod apud eumdem Muratorium pag. 1941. 4. sic de Severilla scribitur: *Quae cum viro suo* [Marcelliano] *vixit novem CONTINVIS annis*. Quod eo pertinet, ne, si tantum *novem annis* dictum fuisset, aliquis cavillaretur, contendens, tantum de tempore *utili* id esse accipiendum, subductis scilicet diebus iis, quibus Severilla abnoctasset, aut quavis ex causa secubuisset.

Postremo dices, in Lectoratu & conjugio id tolerari posse, non item in vitae annis, quae non potest nisi continuata intelligi. Quibus in hunc modū respondeo. Vbi de *utili* tempore agitur, nō tantum id tempus excipitur, quo experiundi potestas non fuit, verum in quibusdam causis illud etiam, quod somno impensum fuit. Idque ostendo argumento l.31. §. *si servus*, D. *de usurpat.* ubi etiam per *furere incipientes*, aut *per dormientes usucapio procedere* h. e. usucapionis tem-

Digitized by Google

continuis ? Numquid alii ſive viri, ſive mulieres, qui vitam ducunt, non continuis, ſed dimidiatis annis vivunt? Magis ridiculum illud eſt, quod in quadam veteri Inſcriptione in quodam tumulo in Cathedrali Eccleſia Amalphitana legitur, & proprie ubi vetuſtatis illius (29) memoriae adſervantur; quam hic adferre in animo eſt; ut no-

tempus currere dicitur. Ex quo luculenter colligitur, eſſe res plures alias, ubi dormienti aut furere incipienti tempora minime currant, ac proinde ſomni aut furoris tempus non ſemper inter utilia tempora computari. Ab ea autem amphibologia ſibi metuens inſcriptionis auctor, haud ſatis habuit dicere, vixiſſe Geminam *annis XXV.* niſi etiam *continuis* adderet h. e. talis, a quibus nulla prorſus ſubductio facienda eſſet, ne ſomni quidem; quem quia *leti conſanguineum* Maro ex Homero vocavit, videbatur aliquis fuiſſe excepturus; quippe quum dormientes mortuis quam viventibus ſimiliores eſſent. Aut ſi non haec vera cauſa eſt, cur illud CONTINVIS inſcriptum titulo fuit; aliquid certe cautum voluit per vocem illam *Continuis* auctor elogii, uti lites moleſtas praecideret. Nam ea phraſis tota forenſis eſt. Vtcunque vero ſe res habet; proba certe atque elegans eſt locutio, & ex meliore Latio petita.

[29] *Rufi inſcriptio (falſo pro Chriſtiana habita) a barbarici crimine purgatur, exponiturque.*

Quandoquidem ſcholiaſten operis tui ago; diu multumq. laboravi, ut intelligerem, quo tuũ iſtud *Vetuſtatis illius* ſpectaret. Tandem quod ſummo labore ſim aſſecutus, in eo inire volo a lectoribus gratiam. *Vetuſtatis illius* h. e. Chriſtianae. Locum Cathedralis intelligit, in quo Amalphitani memorias Chriſtianas ſepoſitas habent. Et tamen inſcriptio, quam recitat, nihil minus quam Chriſtiana eſt. Nimirum enim Noſter ex loco, ubi proſtant, non ex re ipſa, de genere inſcriptionum dijudicat. Epigramma vero ſic habet (ſive, ut Pater loqui cantore Catulliano amat, *Dicit autem ſic*) inſcriptio, inquam, talis eſt: *Hic iuxta homo certus, verus, optimus recumbo Publius* [at credo in marmore P. erat: quod Noſter ni nos labore levaret, integris elementis expreſſit] *Octavius Rufus Decurio.* Cedo mihi, ecquodnam hoc Chriſti ini ſmi veſtigium inveneris? Sed tantiſper haec miſſa facio.

Erudite vero ſubdis, id elogium oportere nimis vetuſtum eſſe. Cur? *Quum*, inquis, *Decurionis officium in Amalphitana reſp. multis abhinc ſaeculis finem acceperit.* At damno noſtro non addidiſti, quam pridem. Nam tibi fateor ea Amalphitana reſp. obverſabatur ſcribenti, quae ſub Normannis mari terraque aliquid poterat. Quanto ſatius fuiſſet, ſi ex monitoribus tuis (ſi hoc ſcirent) didiciſſes, eam inſcriptionem ad Caeſarum tempora aſſurgere, idque non tantum ex Decurionatu [quem Rufus in aliqua colonia gerebat] verum etiam ex tribus nominibus [quae non niſi veteres Romani cives gerebant] collegiſſes: quae ſunt trita tironibus. Dixi Rufum in aliqua incerta colonia decurionatum geſſiſſe: nam de *Amalphi* ſtultum eſt cogitare; quae diutiſſime poſt Romana tempora eſſe in rerum natura coepit. At noſter ex loco inſcriptionis, uti dixi, cetera per ſummam confidentiam decernit omnia. Sic enim ſecum ipſe argumentatur: *Haec inſcriptio in Amalphitana urbe nunc proſtat; ergo Octavius Rufus decurio in Amalphitana rep. fuit.* At ſtulto modo decuriones multos Averſanos, Melfitanos, Manfredonianos obtrudet nobis, quia in his quoque urbibus, etſi novis, vetera ſaxa viluntur.

At rurſus in ejuſdem inſcriptionis barbariem invehitur, Manesque P. Octavii Rufi inquietat immitis barbariei judex & inſectator in hunc modum: *Alii, qui tumulantur homines, nunc homines ſint, dubitaturne?* Hoc eo pertinet, quod Rufus ſibi inſcripſerat: *Homo certus, verus.* At hoc ſaltem ex me, non unius aſſis legulejo, diſcent monitores tui velim, hoc non niſi ex Romani juris ſcientia [quam qui non tenet, nae is miſere ad eruditos lapides offendet] explicandum fuiſſe. Florentinus l. 42. *D. de religioſis* ſcripſit, *Monumentum* generale nomen eſſe: in quod *Si corpus*, inquit, *vel reliquiae inferantur, fiet ſepulcrum: ſi vero nihil eorum inferatur, erit monumentum memoriae cauſa factum: quod Graeci κενοτάφιον, id eſt Inane ſepulcrum appellant.* Vt ergo oſtenderetur, id non eſſe P. Rufi cenotaphium, ſed vere ſepulcrum cum mortui reliquiis, idcirco additur, *certus homo, verus, optimus hic recumbo.* Nam ea omnia epitheta ad deſignationem pertinent; uti quum dicitur, *Certus homo*, veluti Stichus, Dima, Pamphilus, ad diſcrimen hominis in genere promiſſi legative, qui *Incertus* in Jure noſtro dicitur: de quo mitto citare leges, ne ſorte enecem. Sed & *Verus* additur: nam a cenotaphiis inſcriptio non aberat, ſed *verus* inde homo aberat. Poſtremo & *Optimus* non ad laudem, ſed nihilo minus ad deſignationem pertinet; veluti quum in ſtipulando, donando aut legando dicebant: *Hi agri*

ita

noſcatur ex ea, quanta inſcitia laboraverint, qui in Chriſtianorum tumulis Inſcriptiones adpoſuerunt. Dicit autem ſic; *Hic intus homo certus, verus, optimus recumbo. Publius Octavius Rufus Decurio*. Nimis autem vetuſta illhaec inſcriptio eſt, quum Decurionis officium in Amalphitana Republica multis abhinc ſeculis finem adceperit. Alii, qui tumulantur homines, num homines ſint dubitaturne? Quodque vel ad illius ſeculi barbariem, vel potius ad Auctorem tituli abſque dubitatione ulla eſt referendum. Caetera omitto, ne Lectori ſim toedio.

12. Nunc quid illa ſonent verba (30) *Fide conſtitutus* inſpiciamus: Novam hanc loquendi formulam adpellat Mazochius: & vere in uſu apud veteres fuiſſe nemo memoriae prodidit: AEquivalentes formulae tamen in veteribus Inſcriptionibus reperiuntur: ex quibus illorum verborum *Fide conſtitutus* ſignificatio innoteſcit nobis: quae nihil aliud ſonant, quam *Fidelis exiſtens*. Coloniae haec Inſcriptio legitur, quam ex Brovvero refert Muratorius *tom. 4. vet. Inſcript.* ubi de Chriſtianis Inſcriptionibus agit *pag.* MDCCCXXI. *num.* 8. *Hic jacet in terris AEtherius, qui vixit annis XXV. Fidelis in pace receſſit*: Et eadem *pag. num.* 4. quamdam Inſcriptionem refert, ſic dicentem; *Hic requieſcit Fidelis in pace AEmiliana clariſſima puella &c. pag.* MDCCCLXXII. in fine hanc refert Inſcriptionem idem cl. Auctor; ✠ *Caſſius Vitalis qui vixit ann.* L. VIII. *menſibus* XI. *dies* X. *Benne. Fil. fecerunt in paci qui in unu. Deu credidit in pace*. Adlata autem ſuperius loquendi formula *in Fide conſtitutus* a S. Ambroſio, ut catholicos (31) exprimeret, legitur uſurpata. Num in Epiſtolis, num in aliquibus ex ſynceris ſermonibus id ſcribat Sanctus Mediolanenſis Antiſtes, taceo, quum ad manus proprium locum [32] non habeam: Dicit autem ſic; *Vobis in Fide conſtituis*. Gorius *tom.*

ita ut OPTIMI MAXIMIQVE ſunt [Italice, *tali quali ſono*] atque illis finibus circumſcripti &c. illi reip., aut illi homini cedant. Apud P. Lupum (in Sever. p. 119.) *Hanc caſam . . . optimam maximamque*. Quae epitheta (*caſae* impropria) rem certam (non in genere) deſignant.

At, inquis, cur tituli auctori ea cura ſubiit, ut vere Rufi reliquias ibi eſſe, ſciremus? Ne ſepulcrum ſcil. [quippe jam illatione *religioſum*] violaretur, aut veniret. Quo pertinet celebris Vlpiani lex 6. eod. tit. *Si adhuc monumentum purum eſt* [i. e. nondum illato corpore] *poterit quis hoc & vendere & donare. Si cenotaphium ſit, poſſe hoc venire, dicendum eſt: nec enim eſſe hoc religioſum, Divi Fratres reſcripſerunt*. In quam legem memini longiorem Jac. Gothofredi commentarium olim vidiſſe. Eodem & formula pertinet SVB ASCIA DEDICAVIT; quae [uti Patruus in *de Aſcia* in *Curis poſterior.* copioſe diſputat] eo titulis incidebatur; uti ſepulcrum jam eſſe encaeniatum, ac proinde religioſum evaſiſſe, ſciretur.

Habes lector, genuinam tituli P. Octavii Rufi interpretationem. Ceterum duo tantum hactenus epigrammata barbariei crimine judex implacabilis damnavit; quae quidem ambo meris elegantiis fluunt: at eorum alterum (illud Octavii ſcil.) tam Chriſtianum eſt, quam Trajani anima Paradiſum petiit; aut vero eatenus Chriſtianum eſt, quia hodie in Cathedrali inter memorias Chriſtianas viſitur. Quid ergo relinquitur, bone judex, niſi ut *lis. m. ſuam feceris*, quod tibi praedixeram? At tu, Pater, ne tam immiſericors poſthac barbariei hs inſectator, vide.

[30] Jam vero jugulum caulae petit. Caveat ſibi Mazochius, cenſeo.

[31] Dolco ſcribenti Ambroſio numquam in FIDE CONSTITVTVS excidiſſe: qui ſi illud uſurpaſſet, non aliter certe quam de baptizatis omnibus (non vero de *Catholicis* duntaxat) eam locutionem accepiſſet; ſi quidem ſimilia Patribus & Eccleſiis omnibus loqui voluiſſet. Habet de ea re Patruus in priore epiſtola, quae ſatis eſſent: ſed plura in poſteriore dabit.

[32] Auctorem noſtrum, dum anxie amicos, monitores, anteambulones ſuos, dum poſtremo obvium quemque percontatur, ecquid de quodam FIDE CONSTITVTVS ſciant, aut ſaudo audiverint, ecce tibi lepidiſſimus ac notiſſimus rerum abſtruſiſſimarum repertor (cui inauditum nihil, qui omnia in numerato habet, ac ſolet in rebus deſperatiſſ. ſuccurrere, ſive potius os oblinere viris bonis) ſolatur ac recreat, juratus ajens, illud FIDE CONSTITVTVS ſe nuper reperiſſe in Ambroſio. Quin mihi locum, ait Sabbatinus, indicas? At ille, nimius es, inquit, Sabbatine. De auctore te ſecurum praeſto: ceterum de loco tu videas. Ab illo Nolter tempore perdius ac pernox a capite ad calcem pervolutat Ambroſium [quippe ad hunc labo-

III. *Inſcript. in Etrur. Urbib. exſtantium pag.* 324. haec habet; *Fideles Tertullianus adpellat* intinctos, & perfectos Dei ſervos; *Hieronymus* Chriſtianos *Dial. adv. Luciferianos. Vetuſti Lapides diſtinguunt Fideles, & Audientes, quorum mentio in adlato a me lapide Chriſtiano in Part. I. hujus operis pag.* 288. *nu.* 2. *Fideles namque dimiſſis poſt Miſſam Cathecumenis manebant, & orabant cum aliis fidelibus, hiſque ſolis licebat recitare orationem, quae propterea a veteribus vocatur* Εὐχὴ τῶν Πιστῶν (33). *Haec ex Sviceri Theſauro Eccleſiaſtico. Hac laude ornati Chriſtiani in ſepulcralibus titulis, ut ſupra* Πιστοι ΕΚ Πιστων (34) *Fidelis ex fidelibus, nempe parentibus*.

13. Aliam Interpretationem circa adlata Verba *Fide Conſtitutus* hic adferre placet, Princeps optime: quam adhibens, neque temere, neque inconſulto me loqui cenſeo. Voluit fortaſſe hujus Inſcriptionis Auctor innuere Ilarum in fide conſtitutum, ſive confirmatum fuiſſe: unde de Confirmationis Sacramento ab eo percepto fuiſſe loquutum adfirmo: quam conjecturam ad arbitrium non eſſe fictam reor: quum *Fide conſtitutus*, idem ſonet, ac, *in Fide firmatus*: quod in Confirmationis Sacramento perficitur, ut omnes adſerunt, creduntque. In hoc ſenſu Auctorem Apoſtolicarum Conſtitutionum *lib.* 3. *c.* 17. *ap. Cotelerium tom.* 1. *PP. Apoſtolicorum fol.* 288. loquutum fuiſſe arbitror; ὃ μύρου βεβαίωσις τυι ὁμολογίας (35); hoc eſt, *Chriſma con-*

laborem hunc verſutus ille damnavit, nempe ad

. . . Illud, quod Siſyphu' verſat
Saxum ſudans nitendo, neque proficit hilum]

& quia nondum ei labor proceſſit; exſpectat, quam mox nova quaedam & inedita Mediolanenſis operis a San-Maurinis Patribus prodeant, ex quibus ſuam de FIDE CONSTITVTVS obligatam fidem liberet.

[33] Quum haec ex amico Patrui mei Clariſſ. Gorio Florentino recitet; quis non putaſſet verbis illis Graecis Εὐχὴ τῶν Πιστῶν, [*Euche ton Piſon*] *orationem Piſarum*, h. e. Piſis recitari ſolitam, ſignificari; niſi in repetita operis ſui editione illud Πιστῶν in Πιστων *Piſon* commutaſſet; idq. maximo Piſarum damno; quibus eam veterem domeſticam precationem curis poſterioribus de manibus, deque labris eripuit.

At idem Noſter etiam in Gorii orthographiam nihil ſibi non licere verſu ſuperiore patitur. Ille *Catechumenis* [cum aſpiratione in tertia ſyllaba] ut opinor, ſcripſit: iſte emendatione infeſtiſſima aſpirationem in ſecundam retraxit ſyllabam. Nempe Gorius communem Graeciae dialectum ſecutus eſt: Noſter neſcio quam aliam ſequitur. At in tuis, Pater optime atque amiciſſime, ſequare vel Scythicam [quis enim te in jus vocavit eo nomine, quod tu in utraque tui operis editione Sect. 6. ter *lineam PARALELLAM* ſcripſeris, duplicato L in penultima: quam liquidam nos ſcil. indoctiſſimi in antep. geminare conſuevimus?] ſequare, inquam, in tuis vel Scythicam dialectum, modo manus abſtineas, nec infeſtus aliorum orthographiam demoliaris.

[34] Sicubi bonus Accurſius amicus meus Graeci aliquid in textu reperit, tamquam ad Syrtim aut Charybdim ita expalleſcit, ut clamet illico, *Graecum eſt, quod legi non poteſt*: aut: *Heic ſunt duo Graeca*. Apage. At auctori noſtro *Robur & aes triplex Circa pectus erat ... Qui vidit mare turgidum & Infames ſcopulos Acroceraunia*. Qui non duo ſolum ſed tria Graeca oculo irretorto vidit, deſcriplit, edidit. At equidem nihil minus eſſe, quam Graeca, principio ſuſpicabar. Quid enim hoc ſibi vult, Πιστοι ΕΚ Πιστων, *Pietoc ec Pictôn*? Mirum ni Coptica fuerint potius; nam Coptos ajunt elementa ſimilia Graecis uſurpare. Fluctuanti mihi tandem repetita editio auxilio venit, in qua ΠΙCΤΟC Ek ΠΙCΤΩN recuditur. Revixi.

Scio totam hanc culpam in typographo reſidere. Cur enim ram inhumanus ſim, ut id ſuadentibus non credam? Quumquam ceteroqui, ubi ab his Graecis diſceſſeris, Salzanum auctoris noſtri typographum Manutiis atque Stephanis praeferre non dubitaverim; qui ne latum quidem unguem ab auctoris ſui autographo, ne in apicibus quidem, interpunctione, ceteraque orthographia lapidaria [cui mordicus haeret Pater] diſceſſerit. Verum quid quaeris? Sero tamen reſcivi, in quemnam tota ea culpa ſit conferenda; non in typographum ſcil. nec in alium, quam in eum ipſum, ad quem ſolet Noſter recurrere, ubi duo triave Graeca, tamquam Libyca monſtra, ſunt edomanda.

(35) Haec quoque poſterioribus curis reſicta fuerunt in ὃ μύρου βεβαίωσις τῆς ὁμολογίας. Sed jam ex ſcopulis enavigavimus; nec enim

confirmatio eſt Confeſſionis : Quodque Auctor Epiſtolae 4. S.Clementi Romano perperam adtributae *fol.*374. Oper. S.Clementis &c. anno 1570. *lit.E. in fine, & G.* ſic expreſſit ; *Deus autem juſſit omnem cupientem ſe baptiſmo conſignari .... Omnibus ergo feſtinandum eſt , ſine mora renaſci Deo ; & demum conſignari ab Epiſcopo &c.* Quum enim juxta Catholicam veritatem Fideles ſacro regenerati lavacro , per Confirmationem in fide firmarentur , ac veluti milites conſtituerentur ad praelium apti , hinc per illa verba *fide conſtitutus* , Ilarum per Confirmationis Sacramentum in fide fuiſſe firmatum , hujus tituli Auctorem ſtudioſe expreſſiſſe , non immerito adſerere poſſum . De hac autem nova interpretatione , ut ſententiam (36) pronuncies , Princeps Eminentiſſime , ſummopere precor .

14. Cl. Mazochius ut probet per illa verba *in fide conſtitutus* baptiſmum denotari , qua m-

enim toto opere uſquam amplius Graeca comparent ; quae prorſus infida ſemper expertus eſt Noſter . Quid enim falleret adagium, *Graeca fides* ?

[36] *Philippi Mazochii Oratio pro Patruo In Hilari Fide conſtituti cauſa .*

Cave rogo, cave,Eminentiſſime ac juſtiſſime Judex,ne indicta partis alterius cauſa ſententiam pronunties . Et quando aurem unam actori accommodaſti,reo admovere alteram ne graveris. Tametſi vero properas , ut qui curis gravioribus diſtineris ; at ad ſumma ſaltem defenſionis capita animum pauliſper intende . Nec enim pluribus Te tenebo . Ordior .

I. Jam primum omnium clariſſ. adverſarii diſertam habes confeſſionem penes Acta *fol. X.* (in hoc autem exemplo *ſect.*124) Recita confeſſionem, Scriba. *FIDE CONSTITVTVS... nihil aliud ſonat quam FIDELIS EXISTENS.* Recita inſcriptiones , quibus id probat . Recita auctoritatem Gorri, ſummam Chriſtianorum diviſionem in *Fideles* & *Catechumenos* cum meo Patruo agnoſcentis . Ergo quum Catechumeni non alii ſint quam Chriſtiani nondum merſi , quid reſtat , niſi ut *Fideles* ii ſint , qui jam ſunt tincti lavacro ? At cave judex , cave adverſario accredas ajenti , *Fideles* eoſdem eſſe ac *Catholicos*. Alioqui haeretici *infideles* erunt. Atqui *infidelium* vocabulum ita in Eccleſia uſurpatum fuit , ut peculiare gentilibus , ſeu non lotis eſſet . Vel proferat , ſi poteſt , neſcio quae Ambroſii teſtimonia, ad quae recurrit, ubi maxime (*ἀπορεῖ*) *aporiatur*; ut utar Interpretis vulgati verbo .

II. Adhaec recita ſodes Mazochii patrui rationes atque auctoritates a ſect. 4. ac deinceps , quibus invicte probat, *Fidem* tritiſſimum eſſe apud antiquos Baptiſmi nomen , *Fideles* autem tinctorum eſſe appellationem ; & quae plura ibi Patruus protulit . Saltem Adverſarii ea ſilentio prementis ſubleſta fides ne frandi patruo meo ſit , etiam atque etiam , Judex, vide .

III. Illud vero quis ferat , Judex , quod *Fide conſtitutum* pro *Confirmato* accipiat ? Recita ſodes ex Ambroſio Calepino , quae ſit *conſtituendi*, quaeve *confirmandi* notio. Illud gradum primum ad aliquem ſtatum deſignat ; hoc in eodem ſtatu obfirmationem atq. conſtantiam.

IV. Ad haec *Confirmationis* Myſterium non magis *Fidei* quam ceterarum virtutum,ac praecipue Divinae Gratiae *perfectionem* (unde & *Perfectio* id Sacramentum ab antiquis nuncupatur) complectitur. Quo igitur heic de Confirmationis Myſterio cogitat ? Quae ſunt aegri ſomnia .

V. Poſtremo in priſca Eccleſia ſtatim a Baptiſmo frons chriſmate inungebatur non ſine *χειροθεσία* [*manuum impoſitione*]. Quum ergo uno eodemque tempore duo haec ſimul Hilarus noſter Myſteria Divina perceperit (quorum tamen non eſt dubium quin Baptiſmus potior ſemper atque praeſtantior Confirmatione pluribus de cauſe habitus fuerit) cur idem Hilarus ab *Vnctione* potius , quam a *Baptiſmo* (qui omni tempore *Fides* & *Fidei Sacramentum* eſt appellatus) *in fide conſtitutus* diceretur ? Credo equidem , Card. ampliſſime, idemque Judex incorruptiſſime, me Tibi cauſam probaſſe: cupio quidem certe .

VI. Nec enim apud Te peroratione mihi opus eſſe cenſeo . Quam ſi forte a me petis ; facile poſſim ſolitudinem, ſqualorem , ſordes deſerti ab omnibus Patrui tibi ob oculos ponere , tantaq. calamitate propoſita commiſerationem ciere : quum contra ille Alter opibus , amicis , fortunis , gratia denique quum qui maxime florens, confidentia ſumma per bibliothecas , perque eruditorum coetus volitet,tamquam de proſtrato Mazochio triumphum ducens. At Patruus primum innocentia ſua fretus & conſcientia rectę facti, deinde,quod reliquum eſt unum, in juſtitia ac patrocinio , Princeps Eminentiſſime , conquieſcit tuo . Dixi .

quandam adfert Inſcriptionem ex Gudio deſumtam : Dicit autem ſic ; *Euſronia..... nata pridie Kal. Novembris percepit* (ſupple *Bapeiſmum* , ait Mazochius *pag.* 5.) *tertio Idus Aprilis* (37) *Deceſſit pridie Kal. Majas* . Aliam deinde immediate profert , quam exhibet *Fabrettus cap.* 8. *pag.* 577. *num. LXX.* Etſi percelebrem hanc Inſcriptionem (quam percelebrem dixi , ut etiam Noriſius cenſuit in ep. ad Fabrettum data, quam ibidem citatus Auctor profert) de baptiſmo a quodam puero ſuſcepto loqui dicamus, quod & certiſſimum eſt , primam autem ex Gudio deſumtam de baptiſmo interpretari ſi voluerimus , a veritate recedemus profecto , ni fallor, Cardinalis ampliſſime : qua in re tuam (38) ſententiam expoſco , Princeps optime, ſicuti & eruditorum ſuffragium (39) meam retractaturus ſententiam ad Literatorum nutum.Inſcriptio haec eſt ap. *Gudium pag.CCCXIX.nu.*18. *Euſronia L.Filia & N. Naufragio enecta Nat.Pri. Kal. No. Percepit* (ſupple *baptiſmum* ait *loc. nuper cit.* Mazochius) *III. Id. April. Deceſſit Pri. Kal. Ma.* Hanc Inſcriptionem non Chriſtianam eſſe, ſed ethnicae feminae poſitam ſi cenſeo , errore non ducor : Nam ſi Chriſtianae feminae fuiſſet adpoſita , inter Chriſtianas Inſcriptiones , quas in ſuo opere ultimo loco adfert, eam retuliſſet Gudius (40) Neque dicas ibidem eam cum aliis , quae ab incertis poſitae ſunt , Gudium retuliſſe : Nam inter Chriſtianas Inſcriptiones, quas, ut dixi, ultimo adfert loco,innumerae reperiuntur ab Incertis poſitae.(41) His adde quod nihil aliud Inſcriptio innuit, niſi *Euſroniam*, quae pridie Calendas Novembres nata eſt, naufragio enecatam, tertio Idus Apriles fatis ceſſiſſe . Vnde vel legendum ſic cenſeo ; *Natale* (42) *Pridie Calendas Novembres percepit* , quod idem ſonat , ac *nata eſt* , vel aliter , ſed ut ex-

(37) In repetita editione *Apriles* repoſuit , quaſi illud alterum minus Latiale eſſet .

[38] At ſuſtine paulliſper , Judex , nec enim haec de plano cognoſci poſſunt : aut, ſi videtur, interloquere : *Intra quatuor dies audiantur partes* .

(39) Heic quoque ꝺ *Suffragium* prioris editionis (quod *ſuffragium* etſi poſt Cardinalis SENTENTIAM , quam proxime expopoſcerat ſupervacaneum fuiſſet ; tolerari tamen utcumque poterat) in *Judicium* mutavit in editione ſui operis altera . Tanti ne fuit exemplaria prioris editionis repente avidorum lectorum exculſa de manibus , repetere, atq. undecumq. corraſa abolere,ac tandem ſecundis curis opus recudere , ut tuamet ipſe perverteres corrumpereſque ? Nam certe Cardinali injurius es , qui poſt ejus definitivam ſententiam *judicium* eruditorum expoſcas, *retractaturus* [quod pejus eſt] *ſententiam* [tuam ne, an Eminentiſſimi judicis? hanc alteram neceſſe eſt a te intelligi , de qua unice memineras] *ad Literatorum* (cum L majuſculo; quali ſint *Conſiliarii S.Claraе*) *nutum* . Hoccine, Eminentiſſime, tibi ſtomachum non moveat , in eum certe , qui dum blanditiis , dum ambitu corrumpere judicium tuum integerrimum ſatagit , deinde , ubi Te continentiſſimum ſentit,ab tua ſententia ad *Litteratos* , judices pedaneos , provocat .

[40] Nonne praedixi(ſupra in Adnot.29.)Judex Eminentiſſime,hunc ex loco,ubi inſcriptiones proſtant,non ex re,de earum genere pronuntiare? Is enim (vide Auctorem noſtrum ſect. 11. verſus finem) *P. Octavium Rufum* , etſi erroribus ethnicis perdite affixum , quo jure quaque injuria in Paradiſum intulit ea ſola de cauſa , quod ejus titulus ſepulcralis in Cathedrali Amalphitana inter Chriſtianas memorias neſcio quo caſu conjecta fuiſſet: heic vero *Euphroniam* poſt viceſimũ a percepto baptiſmo diem defunctam detruſit in Tartara.Quid enim infelix commeruit? Quia , inquit , Marquardus Gudius non *inter Chriſtianas inſcriptiones retulit* , ſed inter *ab incertis poſitas* . Ficulnum ne hoc argumentum, an plumbeum dixerim? Age, ſit plumbeum ; nam vel plumbeo gladio hunc jugulatum iri , vulgo praedicant .

[41] Hinc uſque ad finem ſectionis hujus in repetita editione caute mutavit omnia : de quo vide mox Adnot.43.

[42] Hanc pulcherrimam interpretationem repetita editio publicae utilitati invidit. At ex ea novam phraſeologiam diſcebamus,*Percipere Natale* pro *Naſci* . Deinde ſi *prid. Kal. Nov. natale percepit* , deceſſit autem III. *Id. April.* quo demum referretur illud ultimum *PRId.KAL.MAias* ? At Patrtus pulchre expediverat omnia , quae hujus monitores afflatu veneſico corruperunt .

Digitized by Google

exprimatur, eam dicto die lucem adſpexiſſe. De hoc ad te ſapientem Judicem, docte Cardinalis [43] adpello. Sed ad alia tranſeamus.

15. Poſt

[43] *Euphroniae titulus explicatur, ab ethnicisſmi infamia defenditur, & cum altero Nilae Florentinae epigrammate comparatur.*

Patruus (ſect. 3.) ſic explicuerat: EVFRONIA..NATa PRIdie KAL. Novemb. PERCEPIT (ſupple *Baptiſmum*: quam neceſſariam ſupplendi rationem ſimilibus planeque geminis aliis inſcriptionibus firmavit: vide locū) III. ID. APRIL. DECESSIT. PRID. KAL. MAias. At ex hac nova auctoris noſtri interpretatione diſcimus inauditam phraſeologiam *Percipere Natale*. Sic enim interpretatur ac diſtinguit: *NATalt pridie Kal. Novemb. percepit: III. Id. Apr. deceſſit.* Deinde quid Euphronia poſt mortem ſuam (ex Sabbatino *III. Id. April.* obitam) fecerit ad ultimum *prid. Kal. Majas*, id quia nondum docuit, *hūr ir γένεσ ιαιμ*. Verum hanc interpretationem ſuaviſſimam (peſſimo publico) eripuit nobis repetita editio: in qua illis verbis *His adde* uſque ad finem expunctis, haec alia ſubſtituuntur: *Plura adferre mihi in animo eſſet, ut meam comprobarem ſententiam, titulum nempe hunc, de quo agimus, quem loco relato refert Gudius, inter ethnicas inſcriptiones locum habere:* apud ipſum Gudium ſcil. qui inter Chriſtianas non retulit. Pergit autem: *Sed ea brevitatis cauſa omitto.* At nae tu damno noſtro heic brevis es. Sequitur: *Solum enim de hoc ad te ſapientem judicem, docte Cardinalis, impraeſentiarum adpello.* Nempirum a Card. Beſozzio (quem judicem ſibi delegerat) ad eumdem Beſozzium novo & inaudito jure provocat. Pergit. *Ad alia igitur, quae nobis dicenda ſuperſunt, tranſeamus.*

Si quaeras heic, cur haec tanto molimine immutarit; ea eſt cauſa, quod ii ipſi monitores, qui miram iſtam interpretationem auctori ſuggeſſerant, eamte poſtmodum, poſtquam iniere locum rationes, mutari juſſerunt.

Sed antequam ab Euphroniae inſcriptione diſcedo: ne porro Noſter obtundere cavillando pergat, ſciendum eſt, hanc (cui tamdiu immoramur) Euphroniae epigraphen etiam Cl. Muratorii judicio (quem totis paginis nec immerito Noſter extollit) inter Chriſtianas referri pag. 1864. 1. quod doleo ſero tandem (poſtquam ſcil. ſuperiora ſcripſeram) me comperiſſe. Quid ad haec Sabbatinus, qui tantum ex claſſe, in quam conjiciuntur elogia, non ex re ipſa, judicium de iis proferre ex quadrimeſtri ſuo ſtudio didicit? Euphroniam quia Gudius eū ethnicis ſer. i ns permiſceverat, eam ſub Tartara nigra detruſit Noſter. At Muratorius paullo clementior eam vindicavit, & in Chriſti gregem reduxit. Veri horum Sabbatine credes? Muratorio, opinor, quem unice admiraris. Et tamen aeſtuat mirifice Pater, & jam prope eſt, ut erraſſe in delectu Muratorium ſuum palam clamitet. Sed ſuſtine quaeſo, Pater. Nam non tantum Cl. Muratorius, ſed & doctiſſimus Bimardus (Patrui mei, dum viveret, amiciſſimus: a quo Latinam epiſtolam longiſſimam, recondita eruditione ſuffertam, miſso ad eum libro *de Dedic. ſub Aſcia*, Patruus nuper elicuit, ſuo tempore edendam) doctiſs. inquam Bimardus, qui eam inſcriptionem Muratorio miſerat, pro Chriſtiana habuit. Nec tantum Chriſtianam eſſe cenſuit, ſed eadem prorſus interpretatione donavit, ac Patruus (nihil dum ſciens de Bimardi judicio) in epiſtola ad Georgium ex invictis argumentis collegerat. Teſtatur hoc Muratorii adnotatio ei inſcriptioni ſubjecta, in qua ex Bimardo ſic interpretatur: *PERCEPIT, ideſt Baptiſmum.*

Quando quidem vero Patruus hunc titulum in epiſtola ad Georgium ex excerptis dumtaxat ſuis Gudianis produxerat; proderit eumdem ex Muratorio (qui eum & a March. Maffeio, & a Bimardo habuit) emendatiorem heic legi.

EVFRONIA EV... [Bimardus legit
FILIA. ET. M... FL. i.e. *Flavii*]
NAVFRAGIO...
NECTA. NAT...
PRI. KAL. NOV...
PERCEPIT
III. ID. APRIL
DECESSIT
PRI. KAL. MAI

Poſtremo non ovum ovo ſimilius eſt, quam recitatum Euphroniae elogium ſimile eſt Catanenſi alteri apud Murator. p. 1916. 4. ex quo ea tantum, quae Patrui interpretationem roborant, huc afferentur. *Quae* (Nila Florentina.) *Pridie Nonas Martias ante lucem pagana NATA* (en illud NAT., quod Sabbatinus *Natale* interpretatur, quid demum ſignificet) *ZOILO CORPA* (i.e. Zoio patre, ſed CORPORE tenus pia) *menſe octavo decimo et viceſima ſecunda die completis, FIDELIS FACTA* [i.e. baptizata] *hora noctis octava ultimum ſpiritum agens ſupervixit horis quatuor ... ac defuncta Hvble hora diei prima ſeptimum Kal. Octobres* &c. Habes heic, ut in Euphroniae titulo, tempora tria, nativitatis, Baptiſmi, mortis. Verum de hoc pulcherrimo Nilae epigrammate Patruus in ſua poſteriore Epiſtola videtur.

Digitized by Google

15. Post vocem Ilarus haec in Inscriptione leguntur; *Qui vixit annus*. Vox *annus* (44) pro voce *annos*, vel pro *annis* adposita est, ut omnes norunt: neque infrequens est apud veteres Inscriptiones haec loquendi formula: quae quam sit purae latinitati conformis, judicent eruditi: ex his enim aliisque in Inscriptione adpositis aperte noscitur; non ad Religionis arcana has formulas esse referendas, sed ad Inscriptionis barbariem. Saepissime autem haec vox *annus* pro *annos*, vel pro *annis* legitur. Apud *Muratorium tom.* 4. *Vet. Inscript. fol.* MDCCCXLIV. *num.* 10. sic lego; *Cumpari suo Bonifatia voluit fieri Benemerenti in pace, qui vix plus minus annus* XXXX. *& fecit cum cupare sua annus* XXII. *Dipositus IIII. Kal. Majas*. Sed in hac re omnibus notissima non censeo diutius immorari. Lege *Aringum tom.* 1. *Romae Subterraneae lib.* 1. *cap.* 26. *fol.* 140. *col.* 1. *tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 37. *fol.* 259. *&* 261. *in init. Lib.* 6. *cap.* 39. *fol.* 623. *Reinesium Class.* XX. *nu.* CLXXI. *pag.* 937. *nu.* CCLXXX. *pag.* 963. *nu.* CCCXXII. *pag.* 971. *ac Muratorium ib. pag.* MDCCCXXV. *num.* 2. MDCCCXLV. *num.* 8. alibique. Et cum apud Auctores istos, tum apud alios non semel, non bis, sed passim similia occurrunt exempla. Non nego barbare [45] legi *annus* pro *annis*: sed tamen, praecipue in Christianis Inscriptionibus, saepissime invenitur. Me non latet, saepe veteres literam V pro [46] I usurpasse: unde in Inscriptione *annis* legi deberet: Sed quum in eadem omnes literae I per V non sint expressae, ac in omnibus vocibus litera proprio modo sculpta sit, ut patet; *Annus* non *Annis* legi debere pro certo habeo.

16. Crucem (47) figunt illae ultimae Inscriptionis literae, quae post vocem *annus* repe-

[44] Aurea porro vel ea sūt, quae de ANNVS congerit. Primum hanc unam ac singularem vocem inter formulas refert (qua regula adhibita, jam non amplius *Vocabularia* vocabimus, in quibus singulae explicantur voces, sed *Formularia*; quando sic Noster jubet) deinde labore improbo quidquid usquam inscriptionum est, excussit, ne ignoraremus quoties ea vocula in marmoribus reperitur. Quid adhuc Masorethas miramur, in numerato habentes, quoties vox quaepiam in sacris Bibliis usurpatur, quibusve cum apicibus? quum Auctoris mei sit plusquam Masorethica diligentia: quod & in sequentibus strenua sedulitate satagit. Euge. At ultima sectionis hujus plane beant.

[45] Non barbare, sed soloece. Tametsi non tam soloecon est ANNVS pro ANNOS, quam ex sermonis *ἰδιωτισμῷ* [*plebeii*] consuetudine petitum; quod pluribus possem ostendere, si id agerem.

[46] In aliquibus quidem vocibus aeras ante-Augustea V pro I usurpabat, ut in *Maximus*, *Aurufex*, itemque in genitivis 3. declinationis, ut CERERVS, VENERVS &c. At quis umquam somniavit, semper ac promiscue licuisse id, quod vetus orthographia non nisi ex certis analogiae praeceptis alicubi admittebat? Non fuit igitur, cur suspicio de ANNVS pro ANNIS Sabbatini animum lancinaret; quod nulla analogia aevi ante-Augustei, multo minus aevi Christiani tueri possit.

Deinde & illa argumentatio nihili est, quae sequitur. Passim, inquit, in hoc lapide I scribitur, nec ejus loco V substituitur: ergo in ANNVS V non est litterae I vicarium. At nusquam in vetustissimis saxis exterminatur I; & tamen in eisdem inter plures vocales I etiam PROXVMVS, AMANTISSVMVS, HONORVS &c. legitur. Itaq. in Sabbatini argumentatione *consequens* [nim. quod ANNVS non sit loco ANNIS] verum est, at *consequentia* falsissima, ut quae vitioso nititur enthymematі. Nam in Auctoris enthymemate *falso supponitur* (ac vide Pater, quantum tibi tribuam, qui Tui reverentia motus, non proruperim in illud *Nega suppositum*: qua vel una formula Patrui vicem ulciscī poteram) sed tamen falso supponitur, in qualibet inscriptione, in qua semel V pro I positum fuerit, vocali I interdici aqua & igni debuisse, necubi penitus viveretur: quod falsum esse vetustissima passim marmora ostendunt, in quibus tum littera I, tum hujus vicarium V legitur. Verum sic solet argumentari Pater.

Sed omisso ludo: duabus de causis in ANNVS V pro I positum non fuit: primum quia tempore inscriptionis hujus id archaismi genus ab usu recesserat: deinde quia tantum I breve interdum in V vertebatur, numquam vero longum, quod equidem sciam. At in ANNIS, I producitur. Quocirca ANNVS non potuit pro ANNIS substitui.

[47] Patruo suique similibus tironibus, non tibi; cui

Nil intra est oleam, nihil extra est in nuce duri.

reperiuntur? : Mazochius *pag.9.* (48) ut ſupra relatum eſt, eas ſi de annis *Plus Minus* quinquaginta, ac menſibus XXV. interpretetur, ludibrium pleriſque debere adſerit. *Eſt ne quiſquam*, ſubdit, *tam ſtipes, ut annis quinquaginta adnumeratis, ubi ad menſes ventum fuerit, quinque & viginti admetiatur? Cui ſi mens non laeva fuiſſet, nae is ſcribere debuiſſet Annos* LII. *Menſem I.* De Annis quinquaginta, ac Menſibus XXV. interpretari non debere certo certius eſt. Ecquis enim eſt, qui numerum menſium ultra duodecimum protrahat, ſi eleganter (49) loqui, aut ſcribere exoptat? Hocce communiter fieri adſolet. De diebus non pauca reperiuntur exempla, ubi, omiſſis menſibus, plures quam triginta dies ſunt adnotati. Apud *Gruterum tom. I. part. 2. de adſ. parentum in liberos fol.* DCLXXXV. *num.7.* ſic lego *D.M. Sex Geſan Sex Fil. Pal. Feſti vix. an.* XI. *D. L. Pag. ſeq. num.7.* legitur ſic; *D. M. Heliadi Filiae Pien. Fecer. Paren. vixit an.* III. D.XXXVIIII. *Ibidem pag.* DCXCII. *nu.1. D. M.M. Juſtin. Marcelli Infantis Dulciſſimi qui vixit annum unum dies* XXXXVII. *M. Juſtinus Secundinus, & Primaria Marcellina Patres amiſſione ejus orbati. P.C. & ſub aſcia ddc.* Hoc eſt, ut eruditi omnes norunt, *Poni curaverunt, & ſub aſcia dedicaverunt*. De dedicatione ſub aſcia inſignem tractatum typis edidit Mazochius, adverſum (50) quem hanc Epiſtolam ſcribere adorti ſumus impraeſentiarum: quae dedicatio ſub aſcia etiã ab aliis (51) explicata fuit: Lege inter alios Mabillonium *de cultu SS. Ignotorum cap. ſive num.* XXII. *poſt Praefationes fol.*574. Haec autem dicendi formula, dierum nempe ultra trigeſimum numerum adpoſitio, apud veteres Inſcriptiones, quae tum in Ethnicorum laudem, tum in Chriſtianorum tumulis reperitur, non frequenter, ſed ſaepiſſime occurrit: Ideoque ſuperfluum cenſeo in re tam perſpecta diutius immorari.

17. Quamvis autem ita de diebus loquuti ſint veteres quum menſium numerum non adpoſuiſſent, quodque inconveniens non eſt; nam dierum numerus ſuper annos ponitur; attamen de menſibus fere numquam priſci Inſcriptionum Auctores ſic loquuti ſunt, ut numerum menſium ultra duodenarium protraherent, quum tranſacto hoc menſium numero, optime per annum deſcribi poſſent. Ne mireris, Cardinalis ampliſſime, quod fere numquam dixerim, quum penitus dicere debuiſſem, ut etiam *loc.cit. pag.9.* Mazochius (52) adnotavit, cujus verba ſupra a nobis relata ſunt. Nam quandoque Veteres etiam hanc phraſim, eſto impropriam, uſurparunt. Haec adſerens jam video riſu, cachinniſque quod dico a quibuſdam ſuſcipi, qui ut Literati non

[48] H. e. ſect.13.

[49] Nempe eo res redit, ut qui annorum ſummae menſes ſupra duodecim addat, is contra *elegantiam* Latini ſermonis peccare intelligatur. Et gratulor, hunc mihi tandem errorem ex animo avulſum fuiſſe; qui antea credidiſſem, in eo non contra elegantiam [nam & Attici, quibus ore rotundo eſt loqui datum, alioqui potuiſſent annis XX. aut XXX. menſes XV. verbis elegantiſſimis admetiri] ſed contra ſenſum communem peccari.

[50] Vae patruo meo patruiſſimo. Antea cuniculis hunc meum oppugnabat: nunc, quantum video, totis eum adoritur legionibus. Nam & Auctori noſtro ſunt qui *Legionis* nomen indiderint; nec enim unus eſt (quod & ipſemet fatetur, ubi mox nummero pluralivo ait, *Adorti ſumus*) ſed quum ſit dux unus, ſexcentis ſtipatus commilitonibus, quos ſuccenturiatos habet ad omnium rerum caſus.

[51] Nempe plagii crimine implicas Patruum Vel frontem libelli vidiſſes, in qua XXX virorum ſententiae promittuntur; in quorum ſubſelliis Mabillonius vigeſimus judex pag. 42. ſedet. Tamen ne perſtas Patruum uti plagiarium traducere, quum ejus Aſciam non videris?

[52] Nuſquam Mazochius, nec ſect.13. [unde verba exſcripſiſti] nec alibi dixit, numquam annorum ſummae addi pluſquam duodecim menſes. Tantum hoc dixit, ſi ejus verba capio, miram eſſe locutionem, nec myſterio carentem. At etiam mire commodus homo Patrui rationibus auxilio veniſti, qui exempla aliquot menſium ſupra XII. niſu Herculeo protulisti. Ago gratias pro eo ac debeo: utinam referre poſſim. Nam eccui adjumento haec tua exempla Patruo futura ſint, poſtea is viderit. Praeſertim quum ad hujus ſectionis finem menſes ſupra XII. non errore ſcalptoris, ſed conſilio poſitos, juratus clames.

non audiunt : nam qui vere doctus est, vel pauca, quae supersunt, exempla non ignorat, vel si nescit, ut unum saltem proferam curiose exspectat. Et non unum tantum, sed aliqua adferre mihi in animo est. Audi primum luculentissimum testem Gruterum nempe sic veterem quamdam Inscriptionem referentem ; *Tom.* 1. *par.* 2 *de Parentum erga liberos adfectu pag.* DCLXXXVII. *nu.*7. *Januariae quae vix.ann.* XIII. *Men.* XL. *D.* IIII. *Fecit Q. Magius Hilario Pater Filiae dulcissimae, & sibi Posterisque suis.* Apud Cl. Virum omni elogio majorem *Ludovicum Muratorium tom.*4. vet. Inscript. *pag.* MCMXXXIII. *num.*1. quindecim Mensium post annos LII. mentio in quodam sepulcrali lapide habetur : *Servilius Patri suo Benemerenti Pastori, qui vixit annis* LXII. M. XV. *Mortus* VII. *Idus Aprileis* ; *Ib. pag.* MCMLVII. *num.*5. sic lego ; *Victoria quae vixit annis* XLVI. *mens.* XXXVI. *Decesse Non.Sept. In pace bene Vrsacius ei fecit.* His adde lapidem apud *Cl.Gorium Inscripc.in Etrur.Exstantium Tom.*3. *pag.*337. *B.M. in pace Flaniggo Scutarius scola Tercia qui vix Ann.*L. M.XV. *militavit Ann.*VI. *Cognatus dulcissimus fororio amantissimo.* Exstat etiam & apud *Fabrettum cap.* 3. *num.* 588. *fol.* 222. Sic pag. 331. ejusdem Cl. Gorii in monumento Aquilae Valentinae pro MENS. 1. D.XXVIII. legitur, D. LVIV. Si autem dicat quis, hunc loquendi modum ex Lapicidae insciti profluxisse;usquequo Lapicidas illos,qui haec sculpserunt,adeat(53) eosque de errore convincat, meam sententiam tenebo : tuncque quum hoc perfecerit, qui haec adserit, alia exempla proferam. Si vero subdat aliquis, hunc loquendi morem improprium esse, & a recta loquendi formula alienum, id non diffiteor.

28. Vt autem ad illas literas explicandas, quae post vocem *annus* in Inscriptione reperiuntur, quas *fol.*7. *&* *seq.* (54) interpretatur Mazochius, progrediamur, adsero literas Pl. MS. *Plus minus* exprimere. Sed numquam usitatum fuisse, Mazochius adserit,ut verbum *minus* ita scriptum sit MS.En ejus Verba in notis *fol.*8.literula a (55) *Ajo notam MS. numquam pro minus usurpari : cujus rei inscriptiones, quascumque viderim in quibus illud PLVS MINVS usurpatur, testes advoco ; in quibus illa formula sive integris litteris notatur, sive in hunc modum PL.M.sive P.M. sive postremo punctum PM. sine medio puncto, aut PM. cum superposita lineola.*

Quod autem ad posteriorem formulae vocem MINUS *attinet ; eam semel tantum duabus literis perscriptam reperi, quarum posterior non sibilum, sed N fuerit, isto modo MN. Sic enim reperio apud Fabrettum pag.* 589. *num.* 200. VIXIT ANNOS PLUS MN. TRIGINTA.

Cur vero MINUS *per MN. notari, non autem per MS. potuerit, ea est causa, quia solebant interdum syllabatim verba concidere, ac puncta interjicere, ut* COM. PA. RA. BE. RUNT. *pro* comparaverunt. *Ab eo factum, ut ubi vocem aliquam per primores literas notare voluissent, haud raro primas uniuscujusque syllabae litteras signaverint. Sic illud apud Reines. Cl. XX.*57. *Q. C. P. R. B. R. sine dubio significat,* quem comparaberunt, *uti constat ex integro* QVEM COMPARAVIT, *quod sequitur. Ac frustra sim, si huius moris exempla congerere satagam, quae sunt innumera.*

Sed & primores syllabarum litterae continua serie sine interjectis punctis notabantur, ut BNF. est Beneficiarius ; *BNV.* Benevolo ; *DM.* Dormit ; *DMN.* Domini; *DP.* Depositus

[53] Hic locus inter Sabbatinianos longe pulcherrimus est : cui merito lector notam adpinxerit, quam studiosi olim adscribebant, ut *ωραίαν* i.e. *pulchrum* locum notarent. Sed quantum video ne evocatis quidem per Pythonissam umbris Pater vult credere. Nam mox sequitur, etiam si inscriptionum auctores ex inferis Pythonico carmine evocari, fassi fuerint, errasse se in adscribendis mensibus supra XII., tamen se non daturum manus (quantam animi constantiam!) sed tunc, inquit, *alia exempla proferam.* Tamen Patris iram mollia tantum verba mitigant ; si quis scil., inesse, *hunc loquendi morem IMPROPRIVM esse*, confiteatur. Longitur res redit, ut menses supra XII. sculpere *non proprium*, sed metaphora fuerit.

(54) H. e. sect. 9. & seq.

(55) H. e. Adnot. 6.

Digitized by Google

tus (ſicuti & *DPS.*) *MERTB.* Merentibus, *& BMT.* Benemerenti; *SD.* Sedit; *SQ.* Sequitur *&c. Quas notas in uno Fabretto deprehendi, plures in Grutero, & aliis, ſi modo adnitar, deprehenſurus. Ob eam cauſam vox* MINUS *non per MS. ſed per M., aut M. N. ſcribi debuit. Et ob eamdem cauſam in MS. non* MINUS *ſed* Menſes *ſignificabit, quia in voce* Menſis *S. prima eſt poſterioris ſyllabae littera.*

19. Quamvis reſpondere poſſem, quod ſi haec vox *Menſes* ab antiquis ſic exprimi potuit MS., ut in Inſcriptione, de qua fermo eſt, interpretatur cl. Mazochius, primam, & [56] ultimam literam exprimendo; quare haec vox *Minus* per eaſdem litteras, primam videlicet & ultimam non potuit deſignari? Menſes autem per *MS.* expreſſos alibi etiam fuiſſe non eſt novum; Lege Aringum *lib. 4. Rom. Subterr. c. 18. 2. fol. 141. col. 2.* & ex eo Reineſium Claſ. XX. *num.* XIIX. *fol.* 901. alioſque. Attamen hac reſponſione omiſſa, plura faciunt, ut ego a Mazochii ſententia recedam.

20. Primo eſt obſervandum, ac, ut ita dicam, pro certo tenendum eſt, literas *PL.* & *MS.* in Inſcriptione adpoſitas duas tantum voces exprimere. Quod ſi probavero, totus corruet Mazochii diſcurſus, qui per literas *PL.*, duas adſerit voces fuiſſe expreſſas; nempe per literam *P.* cum quadam [57] lineola tranſverſa, quae parvam m [58] exprimit, *Plus minus*; per literam L., numerum accipit quinquagenarium: Ex quo, ait, MS. pro Menſibus uſurpari. Si probavero igitur *PL.* unicam vocem eſſe, Mazochii ſententiam a vero prorſus alienam eſſe credemus; ac debere interpretari *PL. MS. Plus Minus.* Punctis voces in Inſcriptionibus veteres diſtinguere conſuevisſe, nulli dubium: qua de re [59] innumera reperies exempla. In adlata, de qua agimus, Inſcriptione, Punctorum loco parva corda fuiſſe a Lapicida adpoſita, inſpicienti patet: Haec autem parva corda, quibuſdam ſapientibus, cordatiſque viris hederae, ſive alterius herbae frondes videntur: Quod etiam in aliis inſcriptionibus paſſim legimus, ubi exigua corda pro punctis inſpiciuntur: ut [60] ap. Aringum *tom. 2. Romae ſubterraneae lib. 4. c. 25. fol. 169. col. 1. in fine, & fol. 170. col. 2.* quem etiam lege *lib. 6. cap. 50 num. 16., & ſeqq. fol. 690. & ſeq. Reineſium Claſ. XX. num. LXXIX. pag. 916. & num. XC. pag. 919.*, ac tandem, coeteros brevitatis ſtudio omittendo, ap. cl. Virum de Republica Literaria optime meritum Ludovicum Antonium Muratorium *tom. 4. Vet. Inſcript. ubi de vet.*

(56) Splendide fallitur. Nec enim *in* MS. ideirco *Menſis* nota eſt, quia in ea nota prima & ultima *Menſis* littera reperitur (nam alioqui MS. etiam *Menſem* accuſandi caſu deſignare poteſt, in quo ultima eſt labialis M) ſed quod in MS. ambae primores litterae ſyllabarum, ex quibus ea vox componitur, inveniuntur. Id tam clare eloquutus eſt Patrius, atque exemplis illuſtravit, ut nihil ſupra. Et tamen aut Pater nondum intelligit, aut cavillatur, atque ut ſepia atramentum fundit, ac ſubterfugit, ne capiatur. Iterum dico, ac millies, ſi ſit opus. Concide ſyllabatim *Menſem*, efficies MENSI M. Quarum ſyllabarum quum M S ſint initiales litterae: hinc MS. pro *Menſe* ponitur. At ſi idem in MINVS feceris; exſiſtet MI. NVS. Ex quo efficitur, legitimum *in Minus* notam eſſe oportere MN. non MS. Quod & ab inſcriptionum tritiſſima conſuetudine non abludit.

[57] Imo cum tribus ductibus tranſverſariis, ut in exemplo ad Patrium tranſmiſſo exhibuerat Illuſtriſſ. Georgius (vide ſupra in ejus epiſtolarum fragmentis) aut ſaltem duobus, ut in tuo exemplo excudi feciſti: qui duo vel ipſi tamen ſatis erunt ad Σ jacens conſtituendum, ut Patrius ſect. 11. explicat.

[58] Sive potius (quomodo ipſe ſe corrigit Patrius ſect. 11.) majuſculum. Verumvis vero jacens jubet intelligi.

[59] Nimirum quadrimeſtris noſter archaeologus in lapidibus hoc admiratur adhuc, quod voces punctis mediis diſterminentur: ejuſq moris *innumera reperiri exempla* cum ſtupore magno fateri cogitur. Cur non attuliſti tamen? Nam & id a Maſoretha lapidario exſpectabamus.

[60] At jam amo te, quod ſaltem cordium exempla plura depromſeris. Erat enim, credo, magnus periculum, ne ſte non monſtrante, res ſcil. gratiſſima, nec prius audita ignoraretur.

Chriſtian. monument. agit pag. MDCCCXLVII. *num.* 5. *pag.* MDCCCLII. *num.* 5. *pag.* MDCCCIC. *num.* 4. & alibi paſſim apud eumdem videre eſt. Quum ergo poſt ſingulas voces parvum cor pro Puncto Scalptor adpoſuerit, dicendum eſt *PL.* unicam eſſe vocem, ſicut & unicam pariter duae ſequentes literae exprimunt; quum ante P cor exiguum reperiatur, & aliud poſt L, ut inſpicienti patet, & apertiſſime: Sonat ergo ſic Inſcriptio per puncta diſtincta; *Hic.requieſcit.In.Pace. Fide. Conſtitutus. Ilarus. qui vixit. annos. PL. MS.* XXV. Aliàs inter P & L etiam parvum cor loco puncti adhibuiſſet: Quod & magis ab eo debuiſſet fieri, ut cordibus parvis Punctorum loco rem uti erat exprimeret, nempe ad duas voces ſignificandas. Tantum enim inter illa *in Pace* non exſtat exiguum cor, quum *in Pace* etiam non eximiis [61] Literatis unam vocem non eſſe adpareat. Haec ratio adeo mihi clara videtur, ut, niſi mea me ſententia fallit, Mathematicae [62] demonſtrationi eam poſſem aequiparare: Plura alia tamen dicam, ut meam ſententiam confirmem, Mazochioque reſpondeam. Si dicas literam P. poſt vocem *annus* non conſueto modo exprimi, ſed cum quibuſdam lineolis tranſverſaria una, ut ita dicam, altera vero ſuperius protracta, reſpondeo; nec conſueto modo (63) literam L. poſt P., neque alias literas expreſſas fuiſſe, ut inſpicienti literam A vocis *Pace*, literas F. & I. vocis *Fide*, aliaſque patet, & manifeſte. A enim in voce *pace* quamdam lineolam in ſuperiore parte habet, quae litera in vocibus *Ilarus* & *annus* aliter exprimitur.

21. Cenſet Mazochius, ut ex ejuſdem verbis liquet paullo ante relatis, verba *Plus minus* in Inſcriptionibus uno ex ſequentibus modo a veteribus fuiſſe expreſſa. *PLUS MINUS* PL. M. P. M. PM. ſine medio puncto, ac PM. cum lineola ſuperpoſita; ſemel [64] autem apud Fabrettum *pag.* 589. *num.* 202. ſic, *Plus Mn.* Hoc ſtatuto, dicendum eſt, quod ipſe in principio illius notulae adſerit, MS. numquam pro *Minus* uſurpari. Si ergo monſtravero praeter adlatas formulas, quae apud Gruterum, Reineſium, Gudium, Aringum, Boſium, ac Cl. Virum Ludovicum Muratorium ſaepiſſime occurrunt, aliter *Plus minus* deſcribi; meam ſententiam a

te,

[61] Vide quam amplis finibus *Literatorum* (quos initiali littera majuſcula ſemper condecorat; & ad quorum judicium nutumq. ſupra [in Adnot. 39.]. Cardinale tanto provocaverat) jurisdictionem definiat. Nempe ut in judicio finium regundorum penes eos tantum *Literatos* [modo *eximii* ſint] litteram a littera, vocem a voce ſecernendi jus ac poteſtas ſit. Quod ſi de IN PACE controverſia exoriatur; tum vero quilibet vel *non eximius Literatus* poterit, vel hinc eorculo, IN a PACE dirimere. Plus nimio ſupremorum judicum ſuorum jurisdictionem protrahit Pater, quia ſcil. ſibi habere vult devinctiſſimos.

[62] H.e. ope circini & regulae. Nam cave quidquam ſupra haec adhibueris; alioqui non erit, credo, legitima demonſtratio. At vide lector, quo uſque quadrimeſtri antiquitatis ſtudio Noſter proceſſerit: nempe ut inſcriptiones & quidquid eſt antiquitatis [rem tam diffuſam atque vagam] demonſtrationum mathematicarum [quarum nos quidem audito vix nomine perhorreſcimus] frenis coerceat. Verum quid ille tandem ad rem propoſitam affert de pulvere & radio? Nihil dum ille quidem. Hoc enim Pater habet cum Euclide commune, quod ſicuti illum ajunt demonſtrationes aliis poſt ſe ſuppendas reliquiſſe; ſic Noſter levi tantum nutu ſuam demonſtrationem indicat, nec ſubjicit glorioſum illud, *Quod erat demonſtrandum*.

Sed tamen ipſe ſuam (homo candoris plenus) demonſtrationem enervat, dum ſibi objicit, tam inter P complicatum [h. e. vicarium ꝑ PLVS MINVS] & notam numericam L, corculum omitti potuiſſe, quam inter IN & PACE. Adde, quod pluries in inſcriptionibus illud PM (ſc. *plus minus*) cum ſequentibus numeris, nullo interjecto puncto, coaleſcit. Exempla ſunt paſſim obvia; quibus proferendis nolo abuti opera, quam in evolvendis Actis judiciariis non nisi locavi miſer.

[63] At diſcrimina litterarum quae affers, ſunt plane tenuia; quum contra inter P illud complicatum [maxime ut in ipſo marmore viſitur] & illud ſuperius P in voce PACE ingens diſſidium ſit, atque ejuſmodi, ut myſterio vacare non poſſit.

(64) Vide de illo *ſemel* adnotata ad ſect. ſequentem 69.

te, erudite Cardinalis, amplecti debere [65] cenſeo.

22. Antequam ea, quae demonſtrare in animo eſt, oſtendam, a Cl. Mazochio peto; Adſerit ipſe in notis *pag.* 8. vocem *Minus* ſemel (66) ſic ab eo perſcriptam reperiri MN. Quare ergo eadem vox ſic MS. perſcribi non (67) potuit? Si ſemel illud factum fuiſſe adſerit, (quod etiam falſum eſſe oſtendam infra, quum pluries *Minus* per *Mn* fuerit a veteribus expreſſum); ſemel etiam *Minus* per *MS* perſcriptum eſſe dicimus in ea, de qua agimus impraeſentiarum, Inſcriptione vetuſta. Hoc autem dico, etiamſi nullum hac de re reperiretur exemplum: quod etiam falſum eſſe inferius demonſtrabo.

23. Apud [68] *Reineſium Claſ.* XX. *nu.* CXCVII. *fol.* 943. legitur expreſſum ſic, PL. M. cum lineola. Quandoque *Plus minus* ſic expreſſerunt PLS. *Mn*, ut ap. Reineſium *Claſ.* XX. *num.* CCCCXIIX. *fol.* 996. *in fine*, quem ut conſulas, te rogo, Princeps optime: nam ex eo etiam noſcitur, quàm aperte a vero aberret Mazochius adſerens loco nuper citato, ſemel [69] tantum *MN.* pro *Minus* fuiſſe uſurpatum apud Fabrettum *fol.* 589. *num.* 200. Quod MN. nempe, pro *Minus* etiam in aliis Inſcriptionibus legitur (ut inter alias in quadam ap. Cl. Muratorium *tom.* 1. *Vet. Inſcript. Claſ. V. fol.* CDXXV. *num.* 6.), quas miror Mazochium non obſervaſſe. Apud Cl. Virum

(65) Hoc vero quis ferat, quod qui antea ampliſſimi Cardinalis tribunal ambierat, nunc (quia hujus conſtantiam emollire nequivit) ipſe in eum judex ſedet? Nam CENSEO ſententiarum judicialium vox eſt. Deinde *amplecti DEBERE* (h. e. velit nolit) judex imperioſus *cenſet*. Huncine in modum ſummis Eccleſiae Dignitatibus opera ſua dedicat Pater?

[66] De iſto SEMEL (de quo iterum ac pluries obtundit) vide quaeſo adnotata ad ſect. ſequ. 69.

(67) Quidni *poſſet*? Nec enim injicio ſcalptori manicas, quominus id *poſſit*. At id licuiſſe, aut legitimum notae genus fuiſſe, pernego. Nam quia MS. nota eſt *menſem* ſignificare nata (teſtibus omnibus notarum Romanarum ſcriptoribus) non licuit eam pro *Minus* ponere. Praeſertim quum *Minus* aliis modis peculiaribus compendiifieret, ac praeſertim per MN. per duas ſcil. ſyllabarum initiales litteras more Romano; de quo vide Patrui Epiſt. Adnot. 6.

[63] Hinc jam Maſoretha noſter novam inſtaurat Maſoram lapidariam de *Plus Minus*; quippe obſtinavit animo nullum prorſus ex iis modis [quantumvis ex ſcalptorum inſcitia depravatiſſimis] quibus illud par vocum in inſcriptionum collectoribus reperit, ubi reliquum facere. Interim lector *Amaras*

Porrecto jugulo hiſtorias, captivus ut, audit.

Hor. Serm. I. 3.

[69] En jam tertio de SEMEL dicam impingit. Mazochius in Adnot. 6. ubi dixiſſet, MS. numquam pro *Minus* accipi, ſubjicit: *Cujus rei inſcriptiones, quaſcumque VIDERIM* (non dicit, *Quaecumque uſquam exſtant*, ſed *quaſcumque viderit*; & quidem inter illam biduanam aut triduanā ſatis Georgio ſuo faciendi curam, alio interim intentus) *teſtes advoco*. Tu plures, imo omnes vidiſti titulos: fateor; ac, ſi videtur, Maſora tua lapidaria fruere.

Jam vero idem Mazochius mox addit: *Eam* (vocem *Minus*) *SEMEL TANTVM* (peccavit fateor: verum ſi ad ſequentia attendas, peccavit levius opinione tua) *ſemel* (inquit) *tantum duabus litteris perſcriptam REPERI*. Et id verum eſt: nec enim plus vice ſimplici ſic ſcriptum tunc quidem REPERIT, plurics reperturus, ſi tanti fuiſſet notae illius vices in numerato habere.

At vero Noſter bis alibi MN. pro *Minus* felicitate ſumma nactus, excitat ſuper eo tragoedias, & Cardinalem obteſtatur (ſupra p. 3.) ut ſuis ipſe oculis (ut in re incredibili ſcil.) id in Reineſio legat: poſtremo mirificum de domito MN. triumphum agit.

Atqui (tua hoc pace dixerim Pater) ecquid commodi ex hoc triumpho domum apportas? Mazochius, cujus intererat plura exempla reperiſſe [ut qui contenderet, ex conciſo ſyllabatim MINVS oſtendi, ejus notam legitimam eſſe debere MN, per initiales ſcil. ſyllabarum litteras] uno tamen exemplo contentus fuit, ne ſe ſenex excruciaret. Tu contra [quem unum iſtud MN. pro *Minus* jugulat] ut plura nobis exempla oſtenderes, noctes evigilaſti totas. Et tamen negamus adhuc, hunc ſibi damnoſum uni, aliis ſemper occare & ferere?

Virum Ludovicum Muratorium *Tom. 4. vet. Inſcript. pag.* MDCCCXXXII. [70] *nu. 2. Plus minus*, nova expreſſum forma legitur ſic nempe . . . *Hic jacet BM. Maria quae viſit ann. Plun XL. quievit in pace Id Ags* Apud eumdem ibidem *pag.* MDGCCLXIII. *num.* 9. ſic expreſſum legitur; *Vixit annos PL MIN. LV.* Ibidem ſic lego *pag.* MCMXVIII. *num.* 4. *Qui vixit in Seculo Annos PLMI LXII.* ubi, ut vides *Minus* per has literas MI cum lineola ſuperpoſita exprimitur. Cum lineola etiam ſuperpoſita tum P, tum L exprimitur apud eumdem ibid. pag. MCCCXLVI *num.* 4. ubi legitur, *Spes in Chriſto Bonoſo qui vixit ann. P M* LXX.&c. ib. Pag. MDCCCLIX. *num.* 12. hoc alio modo expreſſae iſtae voces leguntur; *Donnus deceſſit AN. PL.* M. XV. quod etiam in alia Inſcriptione *ib. pag.* MMII. *num.* 10. obſervatur. Nova autem formula in ſequenti Inſcriptione legitur ap. Muratorium *tom.* 3. *vet. Inſcript. fol.* [71] MDLXXV. *nu.* 3. D. M., *Hic requieſcit in pace Barbara, quae vixit anns* PLL XXX. *deps SBD. IIII. K. Decembrs In XIIII.* Ubi, ut vides, per unicam P, duaſque L. *plus minus* exprimitur: quapropter novam adpellavi, quum in verbis *Plus minus* una tantum L reperiatur: neque illae literae PLL aliter quàm per *Plus minus* interpretari poſſe cenſeo. In alia apud Muratorium Inſcriptione *tom.* 1. *vet. Inſcript. Claſ. V. fol. CCCXC. n.* 4. *Plus minus* ita expreſſum legitur; *Quae* [72] *vixit annos P. L.M. XXXVIII.* punctum inter P & L adponentes, uti inſpicienti patet, ut *Plus* exprimerent; *Minus* autem per ſolam primam literam exſpreſſerunt. Idem verbum punctis diviſiſſe veteres, non eſt novum. Tandem ne plura exempla adferamus, idque Lectorum taedio, ex quibus quam varie illas voces *Plus minus* veteres expreſſerint, noſcitur & clariſſime, apud eumdem Muratorium ibid. pag. MCMXIX. *num.* 4. ſic legitur; *Hic requieſcit in pace. Bone mem. Ori. OSL. qui vixit. pluſ. menus annos* XXXV. *obiet ſub die Kal. Aguſtas*: & nu. 10. ibid. *Hic requieſcit in pace bone memorie Palenope, qui vixit plus menus annus obiit &c.* Quod etiam pag. MCMLIX. nu. ult. cernitur.

24. Si ergo pluribus aliis modis a Mazochio non obſervatis potuerunt [73] Veteres has voces *Plus minus* exprimere, meam ſententiam veritati conformem eſſe ſi credam, non errabo profecto.

25. Ex his autem variis apud antiquos exprimendi formulis aliam eruo conjecturam

[70] Induxit in repetita editione ω D. ut ſit tantum 1332. Vtra ſit vera citatio, haud tanti duco, ut bonas horas conſumam. Tametſi, ſi paullum modo adnitar epiſtolae hujus infinitam epigrammatum farraginem in libris ipſis recognoſcere, non dubito, quin plura forſitan σφαλματα ſim deprehenſurus. Sed idcircone de Maſora lapidaria triumphus ducendus erit? Aliis, ſi quibus id curae fuerit, lampadem trado. Interim hoc unum admoneo, caſu accidiſſe, ut amicus quidam meus, dum animi gratia tua legeret, ſequentem inſcriptionem [quam ex tom. 3. Murat. pag. 1575. 3. citas] noſcio qua de cauſa a ſe quaeſitam non repererit. Imo ne in indice quidem Chriſtianar. inſcriptionum Murator. *Barbara* nlla comparet. Nec tamen excitamus tragoedias: imo hanc veniam petimuſque damuſque viciſſim.

[71] Vide finem ſuperioris Adnot. Verum id non concoquo, quid in illo PLL. [idem de ceteris abſurdis notandi modis, quos quaſi gemmas accumulas, dictum eſto] tibi propitium repereris; quaſi non fieri poſſit, ſcalptorem incurioſum poſterius L male pro M incidiſſe. Aut vero (ſi modo ea inſcriptio, quae a Muratorio exſulat, alicubi re vera in rerum natura ſit) illud PLL idem eſt ac *Plures* [ſicuti AVGG *Auguſtos* pluraliter notat &c.] ita ut dicatur vixiſſe Barbara *annos plures triginta*.

[72] Corr. QVE. & mox in notis numericis XXVIIII. non 38. Hanc enim inſcriptionem [non nodum in ſcirpo quaeſiturus, ſed quod ea alicubi uſui futura eſſet: nam & heic aliis, non ſibi ſerit.] conferre coactus fui. Hinc de aliis farraginis hujus, qua fide productae fuerint, eſto judicium. Quae tamen non eo dico, ut, tertiam editionem ut adornes, ſuadeam.

(73) Ἐπανοδος [*reditus*] eſt ad argumentum [quod vice Achillis habet] quod ſupra in Adnot. 67. expendimus. Nimirum ſi hoc & illo modo *Potuit* [nam in eo verbo vis ei plurima eſt] ω *Minus* ſcribi, cur non & per MS?

ram meae ſententiae non leviter obſecundantem. Tam diverſe has voces *Plus minus* exprimere conſueverunt Veteres, ut in eadem inſcriptione nunc uno, nunc alio modo uſi ſint (74). Apud Reineſium Claſ. XX. *num.* CXCVII. *pag.* 943. ſic legitur *Depoſita Suſanna in pace die* XIII. *Kalendas Nobenbres Conſulatu Anici Baſſi, & El.* [75] *Fylippi VV CC quae Bixit annis PL.M.XXV. fecit cum marito annus PM ſepte Exuperantius maritus ſe vivo uxori dulciſſime, & ſibi Poſteriſque ſuis hoc tumulum. ſecit.* Apud Muratorium loco nuper cit. *pag.* MCMXXII. *nu.* 4. etiam duobus modis eadem verba in eadem inſcriptione ſunt adpoſita. *Hic Pax quieſcet Eucaridu. F. ſcut. ſcol. Secund. qui militavet an. PM.XVIII. Biarcus vixit an. PMXXXV. depoſitus diae Pridiae Idus Julias.*

26. Illud etiam impraeſentiarum eſt obſervandum, nempe, quandoque veteres novis formulis, quas barbaras eſſe, & ſoloeciſmos norunt omnes, in inſcriptionibus fuiſſe uſos: Quod ſi hoc facere [76] potuerunt, quare novam formulam nequiverunt adhibere? Etſi novam eſſe formulam dicamus, quod falſum eſt, ut videbitur modo, *Minus* per MS. exprimendo. Menſes ita expreſſerunt; *Menſes Mens* MS. & tamen apud Gruterum *tom.* 1. *part.* 2. *cap. de adfectu erga liberos pag.* DCLXXV. legitur *nu.* 2. *Cartiliae Actiliae, quae vixit anno uno & meſes* VIII. *die uno hor.* 11. *M. Cartilius Dromo fecit filiae amantiſſimae.* Apud Reineſium Claſ. XX. *nu.* CLI. *fol.* 933. pro *menſibus* legitur *Meſ.* Pro *requieſcit in pace, quaeſqui* in pace legitur apud Aringum *tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 37. *pag.* 260. *col.* 2. & Reineſium Claſ. XX. *num.* LV. *fol.* 910. Apud Aringum *tom.* 2. *eodem lib. & capite fol.* 258. *col.* 1. *ceſquet in pace* legitur pro *Requieſcet in pace:* & apud Reineſium Claſ. XX. *num.* CCLXX. *pag.* 960. *ceſquent in pace. Cum quem* legitur apud Reineſium ib. CCCCXIIX. *fol.* 994. pro *cum quo*: quod etiam nedum apud aliam inſcriptionem obſervatur a cl. viro Ludovico Antonio Muratorio relatam *to. vet.* 4. *inſcript. fol.* MDCCCXXII. *num.* 2.; verum etiam & alibi paſſim. Apud Reineſium Claſ. VIII. *nu.* LVI. *fol.* 534. legitur; *Alius Valentinus Optio Peregrinorum hunc monumentum ſive ſepulcrum. Fol. ſeq.* plura ſupra *hunc monumentum* Reineſius obſervat. Lege etiam Claſ. IX. *num.* 1. *fol.* 548. ubi idem reperies: Et Claſ. XII. *num.* XXXVII. *fol.* 663. legitur; *Extraxit hic monumentus.* Immenſus eſſem ſi ſimilia exempla, quae reperiuntur, adferre vellem.

27. Pro harum reſponſionum coronide, quid dicet Mazochius, ſi etiam *MS.* pro minus ei oſtendam a veteteribus fuiſſe uſurpatum? Et miror inſcriptionem hanc veterem, ubi hoc legitur, virum eruditum non obſervaſſe. Apud cl. Muratorium *tom.* 4. *Inſcript. pag.* MCMLIV. *num.* 3. ſic me legiſſe memini; *Requieſcit in pace famula Chriſti Valeria. qui vixit in hoc ſaeculo annis PL. MS.* [77] *XXXII. DPS. ſub XIII. Kal. Febs.*

28. Ex

[74] Maſoram, ne neſcias lector, lapidariam jam redintegrat.

[75] Pro *FLavii*.

[76] Perſtat ſemper in eodem argumento a *potentia ad actum*, ut nos ſcilicet ſcholaſtici loquimur. *Potuit, ergo fecit*. Ac ſimul partem aliam hoc habes Maſorethici Inſcriptionum Theſauri, quot nempe modis *Menſes* ſcribantur, quorum οὐδὲν πρὸς Διόνυσον, *nihil ad Bacchum*.

[77] Quid iſtuc porro rei eſt, quod nullum ſuper expugnato tamlem MS. triumphum ducit, nec *Io triumphe* canit, qui toties minoribus de cauſis Capitolium ſcanderat laureatus? At at data verba victori noſtro ſunt. Is ſtatim a parta victoria ſupplici libello triumphum more majorum decerni ſibi ab Litteratorum ſenatu petierat, Mazochium captivum & catenatum poſt currum rapturus. Illi reſtiterunt tamen, ac non modo triumphum decernere noluerunt, ſed ne ovantem quidem ingredi Noſtrum ſiverunt. Cur ſic ſevere tamen? Nempe quia Patrum concilio intellectum fuit, non fuiſſe hanc opimam nec juſtam victoriam. Quid enim? multa intercedere ajebant, quin debellatum cum hoſte fuerit. Quaenam illa? *Non liquere* dixerunt, an

28. Ex dictis satis superque liquet illas literas PL. & MS. in veteri, de qua agimus, inscriptione adpositas, sic intepretari debere *Plus minus*: ut intelligatur Ilarum *plus minus* vigintiquinque annos vixisse. Quae loquendi formula frequenter apud veteres inscriptiones legitur: ubi etiam quandoque tot dies *plus minus* [78] aliquem vixisse legitur; ut aliis omissis apud Aringum videre est *tom. 2. Rom. subterran. lib. 4. cap. 27. fol. 176.* ubi legitur; *Gavius Leo Filio in Conravili* [79] *Pompejo q. vix. an. VI. & d. P. M. V. Kal. Dec.*

29. Nunc breviter ad illas columbas cum Monogrammate explicandas transire operae pretium [80] esset: Sed cum de hisce rebus Auctor operis, cui titulus; *Titi Flavii Clementis Viri Consularis, & Martyris tumulus illustratus*, (quem librum a celebri P. Vitry fuisse conscriptum censent eruditi) *fol. 14. & seqq.* & P. Paulus Aringus *tom. 2. lib. 6. Rom. Subterran. cap. 23. fol. 566. & seqq. & cap. 35. fol. 607. & seqq.* legi possint, hinc de eisdem taceo (81).

30. Haec tibi, docte Cardinalis, scribere volui, quum sciam te omnigena eruditione eximium ex hisce scriptis summum capere oblectamentum. Illud tamen unum monitum volo, me Alexium Symmacum Mazochium suspicere magnopere: neque prurigine [82] captandae famae, quum tantum (83) virum impugnem, hanc epistolam conscripsisse. Viri etiam summi [84] nedum priscis temporibus, verum etiam aetate nostra, de literariis rebus in diversam abierunt viam, unusque alterum impugnavit. Si autem bene dixi, rectequeveterem Inscriptionem sum interpretatus, D. O. M. gratiae sunt peragendae, a quo omne bonum. Si autem minus recte, tuam expecto censuram, Cardinalis amplissime, & etiam aliorum: testorque,

an Muratoriana inscriptio satis accurate excepta ex lapide fuerit. Deinde vel si sic in marmore fuerit, at in lapicida istam cudi fabam (haud praeter solitum) jusserunt; qui pro MN. i. e. *minus*, MS. (quod *menses* significat) scalpsit. Adhaec negabant, in Valerii Probi notis (quas unice ratas habet sentus) istud MS. pro *Minus* reperiri. Accedebant & ἀνέκδοτα (*arcana*) quaedam (quae nondum exire in vulgus fiverunt, sed propediem manatura confido) quae Patres conscriptos [quos corrumpere Noster modis omnibus conabatur] ad severitatem tantam compulerunt. Habes, cur triumpho abstinuerit.

[78] Rem incredibilem narras, Pater. Fieri ne potest, ut non modo tot *plus minus annos*, verum etiam tot *dies plus minus* aliquis vixisse dicatur? Vel hoc quis credidisset, nisi tu primus salore maximo ex tenebris eruisses? Quasi vero dierum numerus ἐν ἀτόμῳ [*in individibili*] ut Aristotelica schola loquitur, consistat, ita ut *non suscipiat plus & minus*.

[79] Et tamen qui in hoc elogio τὸ *plus minus* de diebus usurpatum attonitus adhuc stupet; deinde de portentoso isto *in Conravili* securus in utramque aurem dormit. Putavit autem esse loci nomen. Eo enim spectat, quod qui omnia minoribus litteris descripsisset, posteriorem tantum vocem ini tiali C majusculo donavit, *in Conravili*. Ac mirum, ni putarit de *Incuravili* sive *Incurabili* (noto hujus civitatis nosocomio) haec verba fieri. Sed tamen se tantisper continuit credo, dum ejus inventi documenta colligat.

Atqui si omnia majoribus, aut aeque omnia minoribus elementis scripsisset; facile lector intellexisset, Gavium Leonem *Filio Incomparabili Pompeio* monumentum fecisse. Nec tamen *triumphum* lector de eo caneret.

[80] *Pretium* sine diphthongo in priore editione excuderat. Mox objurgato typographo id in *Praetium* secundis curis refinxit. Amamus te, Pater, ob eam sedulitatem.

[81] Lector quidem audire haec ex ipso Patre perditissime cupiebat. Verum is mire properat, nec committendum putat, ut lectoris gustus satietate opprimatur; sed ad alias cupedias propediem dandis avidum sibi reservat.

[82] Excusatio non petita quorsum evadat, nondum metuere perdidicit.

[83] Benigne hoc etiam.

[84] Patruum modo *Tantum* [ἀορίστως *indefinite* scil.] appellaverat, h. e. *tantum*, quantum ei tribuit, qui errores plurimos in solis syllabis tribus PLVS MINVS ei affixerat. Se vero nunc SVMMVM [ablit verbo invidia: nam scimus hoc Jovis epitheton esse, de quo illum valde zelotypum perhibent, ita ut rivalem non patiatur] se, inquam, *summum* nuncupat. Nam eos *summos* vocat viros, qui *in diversam abierunt sententiam*, quique *unus alterum impugnavit*: quod unice in nostrum Auctorem convenit.

que, me a quocumque velle admoneri, ut modesti [85] hominis nomen, quale deeet Christianum, adsequi possim. Vale, & diu vale ad literariae Reipublicae bonum. Dabam Neapoli Quinto Idus Augustas Anno AErae Christianae MDCCXLV.

[85] Hoc vero ultimum *Modestiae* studium, quod profiteris, me magnopere delectavit. At qua coepisti via [*adoriens* alios immerentes tuique amantissimos] quia id minime asequeris; aliam insistas censeo.

At tu quoque me habeas excusatum rogo, si quid modo risui ac jocis indultum fuit; nam *Ridentem dicere verum Quis vetat?* Neque vero haec tam frivola (veluti PLVS MINVS, & horum similia) serio tractari aequo animo potuissent. Ceterum nihil de pietate atque eruditione tua (quam ego Patruusque magnopere diligimus) per me tibi detractum fuisse, & hae pauculae animadversiones testantur, & quae de pulcherrimis animi tui virtutibus colloqui cum amicis [ita me Deus amet] consuevi. Haec vero ut jocularia chartis illinerem, & in Patruum pietas, & amicorum susus impulit. Quod tu ut pro tua sapientia aequi bonique ducas, amice & Christiane rogo, Sabbatine clarissime.

XIV. Habes jam Sabbatinianam epistolam fide summa exhibitam. At diu ante Sabbatinum Baruffaldus V. Cl. suam & ipse contulerat symbolam, Dissertatione in eamdem inscriptionem Bononiae edita: quam quidem nec mihi, nec Patruo videre contigit, nec omnino scire, quoto hujus anni mense prodierit. Sed tamen Illustriss. Georgius, qui de ea ad Patruum (XII) mentionem injecit, mense Septembri illam ad manus habuit. Ea vero tota in explicandis duabus vocibus FIDE CONSTITVTVS versatur, quibus *Catechumenum* significari contendit. Et Baruffaldi quidem Dissertationem huic *Actorum Recensioni* intexere nondum licuit, quippe quae nusquam Neapoli reperiri quiverit. Inserent posthac alii, si qui volent.

XV. Atqui de ea Dissertatione hoc ipso mense Novembri condocefactus Patruus, ad eum ipsum, qui commonefecit, Georgium scripsit alteram epistolam. Qua quidem principio in FIDE CONSTITVTI causa tum contra Baruffaldum, tum etiam Sabbatinum ita breviter disputat, ut suam interim sententiam in priore epistola expositam magis communiat. Deinde ad versum inscriptionis ultimum sibi gradum facit: quem non aliter, ac prius docuerat, legi atque intelligi debere, non inficiandis argumentis evincit. Eam vero epistolam adhuc recentem, Patrui ereptam de manibus, ne in hac *Actorum Recensione* forensis juventus desideraret, ab eodem patruo impetravi. Qua demum posteriore epistola haec *Recensio* terminabitur.

(XII) *Roma 12. Novembr. 1745. . . . Due mesi sono vidi stampata sopra la già mentovata iscrizione una Dissertazione del Signor Baruffaldi; e fu stampata in Bologna. Ella versa sopra la formola* Fide constitutus, *e pretende che voglia dire un* Catecumeno.

Ad Illuſtriſſimum ac Reverendiſſimum DOMINICVM GEORGIVM

Ab intimo SS. D. N. BENEDICTI XIV. Sacello

Alexii Symmachi Mazochii

Epiſtola (*) poſterior.

Q. VAs litteras a Te, Vir ſapientiſſime, amoris ac ſuavitatis pleniſſimas accepi prid. Id. Novemb. datas, in iis nuntiabas, vidiſſe te Baruffaldi V. Cl. Diſſertationem quamdam ante duos menſes Bononiae editam in illam *Hilari Fide conſtituti* inſcriptionem, quam ego hoc eodem anno, jubente te, menſe Januario expoſueram, Qua Diſſertatione vir doctus illud FIDE CONSTITVTVS ſic accipi jubet, quaſi tantumdem plane ſit, quod *Catechumenus*: quod tu merito non adprobas. Ecquis vero probet? Tametſi de Baruffaldi quidem Diſſertatione nihil temere a me dictum volo, cui eam videre non licuit. Verum quibuſcumque vir doctus argumentis ſuadere conetur opinionem ſuam, numquam mihi quidem perſuaſerit, ut qui in mea illa priore Epiſtola, quam tu a Palearinis fratribus edi pro tua humanitate voluiſti, breviter quidem (quippe in re trita) ſed ſatis luculenter oſtenderim ſect. 5. ſummam olim fuiſſe Chriſtiani gregis diviſionem in *catechumenos & in Fide conſtitutos* ſeu *Fideles*. Quocirca *in fide conſtitutum* pro catechumeno accipere tantumdem erit, ac celebratiſſimam in Eccleſia partitionem ſic perturbare, ut diſcreta antehac diviſionis membra confundantur, & conflentur in unam maſſam.

2. Ac ſcio equidem, quibus ea pauca non fuere ſatis, nihil prorſus ſatis eſſe futurum. Tamen quia periculoſum eſt tritas antiquorum locutiones convellere; diferta ſuper eo Patrum documenta huc afferre, ſimul etiam in intimas *Fidelium* appellationis rationes inquirere non gravabor in hac priore epiſtolae hujus alterius parte, qua abſoluta, ad ultimum tituli verſum iterum enodandum progrediar. Omnia vero ſtyli ſimplicitate ſumma exſequi ſtatui; nequis forte veritati, cui unice a me ſtudetur, per verborum phaleras, decedere aliquid conqueratur.

PARS PRIOR

Quid ſit IN PACE ET FIDE CONSTITVTVS Num. 3. *Id tantumdem eſt, quod* Fidelis. *Antiquorum loca de ſumma Chriſticolarum diviſione in* Cathechumenos *&* Fideles, *illuſtrantur*: Nilae Florentinae *epitaphium exponitur.* 4. *Catechumeni ex eo quod Fidelibus opponuntur*, non *continuo* Infideles *dicendi*, *ſed* Credentes *aut* Chriſtiani. 5. FIDELIS *&* Πιστὸς *paſſivae notionis eſſe nomina, oſtenditur ex profanis, ex Scripturis* [*maxime Jo:* II. 23-24.] *ac Patribus, praeſertim Chryſoſtomo, Auguſtino, Cyrillo. Tertulliani ac Plinii loca conferuntur.* 6. Fideles *ergo iidem ac* Fide digni. *hinc vero & Baptiſmus* Fidei *ſibi nomen quaeſivit.* 7. 8. In fide conſtitutus *non idem quod* Catholicus: *nam & haeretici, modo loti eſſent, vocabantur* Fideles. 9. *Ergo pagani tantum* Infidelium *nomine venium: non Judaei, non Catechumeni, ac ne haeretici quidem. Auguſtini locus explicatur.* 10. PAX *in ſaxis idem quod Eccleſiaſtica Communio. imo idem quod Spiritus ſanctus qui eſt ejus communionis glutinum: id quod*

ex

(*) Monetur lector, ne antea ad hanc poſteriorem Epiſtolam legendam ſe conferat, quam breviorem illam priorem, quae ſupra pag. 8. praeſtat, luſtraverit.

ex Cyrillo & lapidibus demonſtratur. Quid SPIRITA SANCTA *in ſaxis?* 11. Illud IN PACE ET FEDE CVSTITVTVS *tantumdem eſt ac quod alibi ſcribitur*, In pace fidelis, *aut* Fidelis in pace. 12. 13. *Quod heic* In fide conſtitutus *dicitur, id quod modis in aliis ſaxis dicatur, aut per ſymbola deſignetur. De piſcium ſymbolo: cur Chriſtus ἰχθὺς, & Chriſtiani piſciculi dicerentur.*

3. Jam primum omnium iſtud IN FIDE CONSTITVTVS inſcriptionis hujus tantumdem eſſe quod *Fidelis*, res ipſa clamat: nec de eo ambigere quemquam animadverti. Nunc de *Fidelis* voce, quatenus ea *Catechumeno* opponitur, conſiderandum. Ab Euſebio vero eam partitionem, quam modo poſui, addiſcimus in VII. Dem. Evang. *Tres*, inquit, *ſunt in unaquaque Eccleſia ordines: unus ducum* (hi ſunt Hierarchici Epiſcoporum, Presbyterorum ac Diaconorum ordines) *duo vero ſubjectorum*...; *quippe quum Eccleſiae Chriſtianae populus duas in claſſes dividatur, ἴσον τὸ τῶν πιστῶν [πλῆθος] καὶ τῶν μυδέπω πρὸς θείαν λουτρῷ παλιγγενεσίας ἠξιωμένων, in Fideles, & in regenerationem per lavacrum nondum aſſectos*, h. e. Catechumenos. Cui vero inaudita vox illa eſt, qua Diaconus poſt Miſſam Catechumenorum utebatur? Ὅσοι κατηχούμενοι, προέλθετε· ὅσοι πιστοί, ἔτι καὶ ἔτι ἐν εἰρήνῃ τῷ Κυρίῳ δεηθῶμεν· *Quicumque, Catechumeni eſtis, recedite; quicumque Fideles iterum & (1) iterum in pace (2) Domini oremus.* Hinc S. Ambroſius (ſive quisquis eſt ejus operis auctor) in I. de Sacr. 1. *Fideles dicuntur, qui baptizati ſunt*. Auguſtinus ep. 67. *Frater Paulus narrat gaudia de Gabiano, quod non ſolum Chriſtianus* (h. e. inter Catechumenos adſcriptus) *ſed etiam FIDELIS ſit valde bonus, per Paſcha proximum baptizatus*. Proderit heic autem Catanenſem titulum adſcribere ex Muratorio pag. 1916. 4., qui ſane pulcherrimus eſt, in hunc maxime modum habens. *Nilae Florentinae infanti dulciſſimae atque innocentiſſimae FIDELI FACTAE parens conlocavit. Quae pridie Nonas Martias ante lucem PAGANA nata ZOIIO* (3) *CORP. menſe octavo decimo & viceſima ſecunda die completis, FIDELIS FACTA hora noctis octava ultimum ſpiritum agens* (i. e. quod ageret animam, ea

 de

(1) Illud ἔτι καὶ ἔτι, *iterum iterumque*, eo pertinet, quod triplex Fidelium oratio erat. Canon Laodicenus XIX. jubet *Fidelium tres orationes fieri, unam quidem; ſcil. primam, ſilentio, ſecundam vero, & tertiam pronuntiatione impleri*. Hinc in Baſilii, Chryſoſtomi, aliiſque Liturgiis εὐχὴ πιστῶν πρώτη, δευτέρα, τρίτη, *oratio fidelium prima, ſecunda, tertia* memorantur. Sed & Oratio Dominica εὐχὴ τῶν πιστῶν, *oratio fidelium* vocatur a Chryſoſtomo Hom. 10. in Ep. ad Coloſſ. ubi *Fidelium* nomine baptizatos, quatenus Catechumenis opponuntur, intelligit: quod & diſertim explicat Theodoretus in Epitome Divin. Decret. cap. 28. Ac de his vide plura apud Suicerum, in Εὐχή, ubi praeterea oſtendit ex Auguſtino non niſi ſub ipſum Baptiſmum formulam Orationis Dominicae *Competentibus* perdiſcendam fuiſſe traditam, quam ſcil. antea penitus ignoraverant.

(2) Ἐν εἰρήνῃ τῷ Κυρίῳ δεηθῶμεν. Hoc alii vertunt: *In pace Dominum oremus*. Sed equidem τῷ Κυρίῳ commodius ad εἰρήνῃ retulerim; ut ſit *In pace Domini oremus*. *Pacem* vero *Domini* (quam ſcil. Chriſtus Jo: XIV. 27. *reliquit* diſcipulis, ut propterea eam *hereditariam* Vranius in Ep. de obitu S. Paulini, & alii vocaverint) Cyrillus Alex. lib. X. in Joannem pag. 839. & ſeq. (cujus locum in Adnot. 12. adſcribam) interpretatur *Spiritum Sanctum*: appoſite: nam haec eſt illa *Pax Eccleſiaſtica*, quae aliter *Communio* vocabatur; cujus glutinum omnino Spiritus Sanctus eſt. Haec vero verbis Inſcriptionis Hilari illis IN PACE ET FIDE CONSTITVTVS lucem affundunt.

(3) In exemplo inſcriptionis apud Muratorium haec vox hic ſcribitur ΖΟΙΙΟ: quod Muratorius interpretatur, *SVO* (*CORPore*). Verum non eſt dubium, quin illa ſibili averſa figura in hunc modum (?) pro Z poſita fuerit, quod & alibi reperiſſe memini. *Zoius* autem eſt proprium nomen a *Zoë* per ὑποκορισμὸν derivatum. Cujus nominis compoſitum *Euzoius* in Eccleſiae hiſtoria celebre nomen fuit. Jam vero inſcriptionis auctor hoc ſibi voluit, Nilam iſtam prid. Non. Mart. *Paganam natam* (fuiſſe) *ZOIO* patre) *CORPore* (tenus): nam mox *Fidelem factam* h. e. Spiritu renatam, ſtatim docet.

de cauſa, accelerato Baptiſmo, hora noctis octava eam tingi placuit) *ſupervixit* (adhuc) *horis quattuor, ita ut conſueta* (ſupple *vitae officia*) *repeteret; ac defuncta Hyble hora diei prima, ſeptimum Kal. Octobres.* Vides heic tria notari tempora, nativitatis carnalis, regenerationis, mortis, haud aliter atque in Euphroniae tumulo, quem in priore epiſtola ſect. 3. explicavimus, & in Paſchaſii titulo & alibi. Vides etiam [quod huc attinet] illud *Fidelis facta* tantumdem eſſe, quod *Baptizata*: eamdem vero a nativitate *paganam* [4] fuiſſe appellatam. Atque hic lapis παιδοβαπτισμῶν [*infantium baptiſmi*] illuſtris eſt teſtis: maxime quum is baptiſmus caeleſti voce fuiſſe adprobatus narretur. Pergit enim inſcriptio. *Cujus oceaſum cum uterque parens omni momento fleret, per noctem MAIESTATIS vox extitit, quae defunctam lamentari prohiberet. Cujus corpus pro foribus Martyrorum* (a recto Μάρτυρος fiebat *Martyrus* aut *Marturus*, & muliebre *Martura*, in ſaxis obvia) *cum loculo ſuo per Presbiterum humatu E IIII Non. Octobr.* Vides a die 25. Sept. (qui emortualis Nilae fuit) ad diem 4. Octobr. dies ipſos novem lamentationi impenſos fuiſſe; deinde ejuſdem corpuſculum per Presbyterum (non ſine conſuetis utique ritibus) humatum fuiſſe prae foribus Martyrum h.e. noti alicujus Martyrii, in quo Martyrum pignora condebantur. Verum haec obiter.

4. At enim, dices, ſi ita ſe res habet, Catechumeni *infideles* dicendi erunt: quos tamen, ſiquo caſu ante lavacrum morte occupati fuiſſent, per Baptiſmi votum ſalutem conſecutos, nemo dubitat. Reſpondeo: *Infideles* non alios proprie intelligi quam paganos: baptiſmi vero candidatos ſive catechumenos nondum quidem Fideles fuiſſe, ſed non continuo tamen *Infideles* appellatos, ſed eos pertinuiſſe ad tertium genus inter gentiles & Fideles interjectum, quibus *Chriſtianorum* quidem & *Credentium* nomen concedebatur, at *Fidelium* denegabatur; quippe qui nondum *Fidei* Sacramentum percepiſſent, nec eis arcana Myſteria concredita fuiſſent. Hoc vero ultimum ut intelligatur, res altius aliquanto eſt repetenda.

5. Vox enim Graeca Πιστὸς (quae *Fidelis* redditur) etſi nonnumquam in ſacris Paginis activa notione reperiatur (ut in illo Jo. XX. 27. *Noli eſſe incredulus, ſed πιστὸς fidelis* i. e. *credens*) tamen (ut optime animadvertit H. Steph. in Theſ. to. 3. col. 145. F.) proprie vox eſt (πιστὸς ὁ πιστεύεται) ſignificationis paſſivae, notans fide dignum, aut qui idoneus eſt, cui aliquid concredatur: qua notione ea vox in profanis ſcriptoribus ſemper, in ſcripturis (5) vero ac Patribus ſi non ſemper at plerumque uſurpatur. Atq. hoc demum ſenſu baptizati mihi videntur πιστοὶ h. e. *Fideles* appellati, ſignificatu utique paſſivo. Nam Chriſtianis, quamdiu catechumeni erant, Diviniora Myſteria non committebantur: at poſteaquam longa exercitatione ſubacti ac probati, digni ſunt habiti, qui ad interiora Dogmatis Chriſtiani adyta admitterentur, tum vero, poſt Baptiſmi perceptionem (qui idcirco *Fides* vocabatur) per hanc quaſi januam ad penitiora quaeque arcana perdiſcenda intromittebantur. Tunc vero demum quia eis tamquam ἀξιοπίστοις, (*fide dignis*) arcana committerentur; ob eam cauſam πιστοὶ *Fideles* fuiſſe

(4) Simile eſt illud S. Auguſtini in VI. contra Jul. 14. ante fin. *In ſemina fideli creatus eſt infidelis, & in eum parentes infidelitatem tranſecerunt, quam non habebant, quando ex ipſis natus eſt; ſed tunc habebant, quando & ipſi ſimiliter nati ſunt.* Sed & hodienum infantes ante lavacrum vulgus appellare *paganos* conſuevit.

(5) Poſſum dicere, raro aliter quam paſſiva notione id vocabulum in Scripturis uſurpari, e. g. in iis locis, ubi πιστὸς i. e. *fidelis* de ſervo, de diacono, de ſermone, de diſpenſatore & ſimilibus uſurpatur: in Apocalypſi vero maxime ubi de *teſte* adhiberur, & cum ἀληθινὸς *verus* copulatur. Sed & ubi Filium Dei πιστὸν vocari contingit, id Athanaſius Orat. 3. contra Arianos bis explicat πρὸς ὃν πιστεύεται, h. e. *cui credi neceſſe ſit*. Ex Patribus vero exempla depromere ſupersedeo, maxime quum ii baptizatos nec πιστοὺς *Fideles* paſſiva ſignificatione vocaverint: de quo vide Adnot. ſequentes.

ſe dictos, Chryſoſtomus (6) diſerte affirmat, & Auguſtinus (7) aliique pulchre id ex Evangelii auctoritate probant, rati non aliter quam de catechumenis capiendum eſſe illud Jo.II. 23. 24. *Multi crediderunt in nomine ejus* (en activa credentium notio). *Ipſe autem Jeſus non credebat ſemetipſum eis*. En paſſiva ſignificatio, eorum ſcil. quibus *creditur*. Vides jam igitur, cur πιστοὶ h. e. *Fideles* audierint: non quia tum primum *crederent* (nam jam tum, quum Chriſto nomen dederant, πιστεύοντες i. e. *credentes* vocabantur) ſed quia tum demum eis arcana *credebantur*. Nec plane alio intellectu ethnici ipſi in Chriſtianis *Fidelium* nomen accipiebant, ſi recte Tertulliani [8] Pliniique loca interpretor.

6. Quocirca ubi in priore Epiſtola conabar oſtendere, *Fideles* a *Fide* (quae unum eſt ex Baptiſmi nominibus) nomen inveniſſe; id nunc retracto, ac pro certo ſtatuo, πιστοὶ *Fideles* quaſi ἀξιόπιστοι *fide dignos* primum fuiſſe vocatos: deinde quia primus ad hunc *Fidelium* ſtatum gradus ac janua Baptiſmus erat, ideirco etiam Baptiſmum *Fidem* metonymice dici coepiſſe. Non tam ergo Fideles a Fide h.e. Baptiſmo dicebantur, quam contra idcirco *Fidei* ſibi nomen quaeſivit baptiſmus, quia poſt hunc, aut ſub hunc *Fideles* h. e. fide digni habebantur ac dicebantur.

7. Atque haec quidem de Cl. Baruffaldi opinione ſatis. Verum paullo ante quam has ad Te litteras ſcriberem, epiſtola quaedam ad Eminentiſſ. Beſozzium ab uno ex amicis meis Lud. Sabbatino compoſita prodiit: qua in epiſtola ſect. 13. *in fide conſtitutum* interpretatur eum, qui Sacramentum Confirmationis perceperit. Sed, ut alia ſexcenta taceam, docere antea debuiſſet, non Baptiſmum, ſed Confirmationem ab antiquis *Fidei* appellationem obtinuiſſe. Quod ſi tamen Sabbatinus dixiſſet, illud IN PACE ad Confirmationem fortaſſis pertinere; id tueri potuiſſet inſcriptionibus iis, quas infra in Adnot. 12. exponam, in quibus PAX (de qua in ſepulcris Chriſtianor.

(6) Chryſoſtomus Hom. 1. in ep. ad Coloſſ. *Fideles vocamur non ſolum quia credimus* (nam & Catechumeni credunt, qui tamen ejus appellationis ſunt exſortes) *ſed &* (διὰ τὸ πιστευθῆναι ἡμᾶς τὰ θεῖα μυστήρια) *quia nobis a Deo credita ſunt myſteria, quae ne Angeli quidem ante nos norant*. Idem paullo ante ſic ſcripſerat. *Quis te ſanctum fecit? quis* (πιστὸν) *fidelem? quis filium Dei?* His dictis, mox illud πιστὸν (*fidelem*) exponit ἀξιόπιστον i. e. *fide dignum*. Sic enim pergit: ὁ ποιήσας σε ἀξιόπιστον, αὐτὸς καὶ τὸ πιστευθῆναί σε ἅπαντα αἴτιος. *Qui te fide dignum effecit, is quoque cauſa fuit, ut tibi omnia crederentur*.

(7) S. Auguſtinus Tract. XI. in Jo: ad recitata Evangeliſtae verba ſic commentatur: *Tales ſunt omnes catechumeni: ipſi jam credunt in nomine Chriſti, ſed Jeſus non ſe credit eis ... Si dixerimus catechumeno, Credis in Chriſtum? reſpondet, Credo, & ſignat ſe: jam crucem Chriſti portat in fronte ... Ecce credidit in nomine ejus. Interrogemus eum, Manducas carnem Filii hominis, & bibis ſanguinem Filii hominis?* (nam Euchariſtiae myſterium eis celebatur) *neſcit quid dicimus, quia Jeſus non ſe credidit ei*. Cyrill. Alex. Comm. in Jo: ad eadem Evangeliſtae verba ſic adnotat (to. 4. p. 144.) *Quibus tener adhuc eſt fermé catechefeos, quomodo ſtabiles in pietate jam ſint? Nondum igitur ſe novitiis credit Chriſtus ... Diſcant itaque hinc myſteriorum Servatoris promi conditi intra ſacra vela quemquam praematuré non admittere*. Poſtquam vero id ex verbis illis Chriſti Jo. II. 24. docuit, tandem concludit: *Ut hinc pateat, tirones non exiguo tempore in catechumenorum claſſibus eſſe exercendos; vel ſic enim* (μόλις γινόμεθα ἐν πίστει, h. e. ἀξιόπιστοι) *vix eſt ut fideles* (ſeu *fide digni*) *ſint evaſuri*.

(8) Tertullianus *Fidelium* nomen etiam a gentilibus uſurpatum dicit, ſed tamen ſignificatu paſſivo. Ejus locus eſt in Apologetico cap. 46. ubi philoſophorum vitia cum virtutibus Chriſtianor. componit. *Anaxagoras depoſitum denegavit hoſpitibus: Chriſtianus & extra FIDELIS vocatur*: h. e. etiam ab exteris *Fidelis* ea notione dicitur, quod ſit *fide dignus*, fidemque non fallat. Eoque pertinet & illud Plinii Trajano ſcribentis II. ep. 97. *Neque ſacramento non in ſcelus aliquod obſtringere, ſed ... ne fidem fallerent, ne depoſitum appellati abnegarent*. Fortaſſis enim interroganti Plinio, cur *Fideles* dicerentur, Chriſtiani reſponderunt, quia *Fidem* [Chriſto & Eccleſiae utique datam illi intelligebant] *non fallerent*, & quod ἀξιόπιστοι [*fide digni*] in omnibus eſſent: quod poſtea Plinius pro ſuo captu ad depoſitum tranſtulit.

crebra est mentio) in *Spiritu Sancto* [quod unum est ex Confirmationis nominibus) consistere dicitur. Vide ad calcem Adnot. 12. Nunc eccui antiquorum in mentem venit Confirmationem nuncupare FIDEM?

8. Idem vero Sabbatinus sect. 6. illud *In fide constitutus* sic περιφράζει (*circumloquitur*): *Hic requiescit in pace QVI IN FIDE CATHOLICA VIXIT Ilarus*. Qui & sect. 12. *In fide constitutum* ex nescio quo commentitio Ambrosii loco (qui nusquam reperiri potuit) *Catholicum* interpretatur. Sed nimis rigide *in fide constitutum* accipi jubet, is praesertim qui paullo antea eadem sect. 12. fassus esset, illud *Fide constitutus* tantumdem esse, quod *Fidelis existens*. Nimis, inquam, rigide *Fidelium* vocabulum accipit, quod ad solos *Catholicos* pertinere statuit, quum tamen omni tempore in Ecclesia non tantum Catholici, verum etiam haeretici [9] *Fidelium* nomine censerentur, quippe quibus post lavacrum jam arcana mysteria non minus, atque Catholicis, concredita fuissent: nam ut modo exposuimus, *Fidelis* πιστικὸς (*passivus*) vox est, eumque in re nostra notat, cui *arcana creduntur*.

9. Ac ne de usu harum vocum ambigatur: omnino *Fidelis* & *Infidelis* vocabula sic olim accipiebantur. Soli gentiles vocabantur *infideles*, eo quod nec *crederent* (nam etsi πιστὸς [*Fidelis*] passiva vox sit, ἄπιστος [*Infidelis*] tamen etiam activa est) nec iis arcana *crederentur*. Nec Judaei autem, nec haeretici, nec catechumeni *infideles* vocabantur. Non Judaei: quia etsi increduli, tamen eis jam olim *credita sunt* (ex Rom. III. 2.) *eloquia Dei*, in quibus tamen parum vident. Non catechumeni: quia jam ab initio in *credentium* coetum adsciti fuerant; & quam mox iis *credenda* essent arcana (h.e. *Fideles* fierent) sub trutina pendebat judicium. Non demum haeretici [10] quibus jam olim post baptismum *credita* mysteria fuerant, & *Fidelium* nomen saltem apud suos inditum fuerat, etsi iidem in quibusdam a recto dogmate defeciissent. Ergo a *Fidelium* appellatione ii tantum omnes excluduntur, qui illoti sunt: at haeretici non excluduntur, quippe quibus in Baptismo jam *credi* mysteria apud suos coeperunt.

10. At enim, inquies, si ita se res habet; quis HILARVM nostrum non haereticum fuisse, praestabit? Non, inquam, potuit haereticus esse, quia non tantum in *Fide* sed & *in pace constitutus* dicitur. IN PACE, inquit, ET (11) FIDE CONSTITV-

[9] Ajo, non tantum Catholicis, verum etiam haereticis, modo tincti lavacro essent, *Fidelium* nomen commune fuisse. Testatur hoc Tertullianus in de Praescriptione haereticorum cap. 41. ubi conqueritur, quod apud sui temporis haereticos etsi *catechumenorum* & *fidelium* essent discreta nomina, tamen sanctioribus mysteriis promiscue cum fidelibus interessent & catechumeni. *In primis*, inquit, *quis Fidelis, quis Catechumenus, incertum est*. Cur vero parum inter se dignosci potuerint, statim addit: *Pariter adeunt* [basilicam scil.] *pariter audiunt, pariter orant*. Nam, ut in Adnot. 1. ostendimus, ab ἰσχὴ τῶν ἀκροωμένων [*oratione fidelium*] catechumeni arcendi fuissent. Erant igitur apud haereticos catechumenorum & fidelium distincta σώματα [*corpora*] sed tamen ex languore disciplinae confusa inter se ac promiscue habita.

[10] Nemo mihi illud S. Augustini [Tract. 1. in Jo. circa medium] obiciat, *Exeat nunc nescio quis INFIDELIS Arianus & dicat* &c. Nam ibi apud Hipponensem *Infidelis* non substantive sumitur [uti quum ad nomen de paganis accipitur] sed ἐπιθετικῶς [*adjective*] ut Arianorum scil. sit epithetum: qui etsi post susceptum baptismum *Fideles* [& quidem absolute ac substantive] vocarentur; iidem tamen propter ἀπιστίαν [*incredulitatem*] *infidelium* epitheto donabantur. Itaque *Fideles infideles* dici per oxymoron potuerint: cujusmodi sunt & alia oxymora plura, ut *Innuptae nuptiae* [Sophocli γάμοι ἄγαμοι] *Ars iners, Insaniens sapientia*, ἄχαρις χάρις i.e. *ingrata gratia*, & tot alia.

(11) Illud ET latet sive in eo nexu, quem initio ad me Cl. Georgius miserat in hunc modum Ɛ (in quo sunt tres litterae E, T, & F) sive (si ea littera cum sequente ita in marmore scalpta est, ut Romanus incisor exhibuit) in priore elemento involvitur E & F, in posteriore vero T & E, ita ut uterque nexus resolvatur in ET FE., ac demum hae duae syllabae (cum sequente DE) efficiant ET FEDE.

TVTVS. *Fides* (notione paſſiva) ſive Baptiſmus illum *Fidelibus* adjungit, & a paganis, Judaeis, & catechumenis ſegregat: *Pax* vero eumdem catholicis adglutinat, & ab haereticis ſchiſmaticiſque disjungit. Nam *Pacis* vocabulum in Chriſtianis titulis plerumque *Communionis* Chriſtianae vinculum deſignat: quod & in priore Epiſtola dicere occupavi, & heic pluribus ([12]) ſi ſit voluntas docere poſſim.

C 4 11. Jam

[12] *Quod PAX in inſcriptionibus notet eccleſiaſticam communionem. PAX ea Cyrillo eſt Spiritus Sanctus, communionis eccleſiaſticae conciliator. Cyrilli doctrina iis inſcriptionib. confirmatur, in quibus IN SPIRITV SANCTO ponitur pro IN PACE; aut utrumque copulatur. Cur femininum SPIRITA SANCTA in ſaxis crebro uſurpetur.*

Quum in priore epiſtola Adnot. 1. oſtendiſſem conſuetum BENEMERENTI ad meritum Theologicum pertinere, inde quid PAX ſibi velit in Adnot. 2. docui, nim. Pacis Eccleſiaſticae glutinum, ſine qua meritum non procedit, quaeque apud haereticos & omnino extra Eccleſiam Catholicam non reperitur. Vide etiam ibi ſect. 7. 8. Hinc eſt quod Cyrillus Alex. *Pacem*, de qua loquimur, interpretatur *Spiritum Sanctum* lib. X. in Jo: pag. 839. quia Spiritus Sanctus eſt glutini Eccleſiaſtici opifex. Sed praeſtabit Cyrillum ipſum audire in Jo: XIV. 27. ſic commentantem. *PACEM*, inquit, *DO VOBIS, non ſimpliciter, ſed PACEM MEAM. Id autem nihil aliud eſt, quam dabo* (appoſite Cyrillus illud δίδωμι i. e. *Do*, quo utitur Chriſtus, mutat in *Dabo*; quia familiare Graecis eſt praeſens tempus pro paullo poſt futuro uſurpare) *Spiritum, & adero eis, qui per me ipſum illum ſuſceperint. Pacem quippe Chriſti Spiritum ejus eſſe, longa non eſt oratione probandum.* Deinde hoc probat ex illis Pauli verbis, *Et pax Dei, quae exſuperat omnem ſenſum* [at Gr. eſt νὸν h. e. *mentem*] *cuſtodiat corda veſtra.* Atqui quam nos pacem vulgo intelligimus, ea non eſt ſubſtantia, ſed [ἐν ἕξει] *in habitu* eam habentium conſiſtit: nec eadem iſta pax, quum non ſit *Mens*, exſuperare dicetur Angelos, Archangelos, Thronos ceteraſque mentes, imo ne homines quidem. *Quare* [inquit] *pax illa exſuperans... omnem mentem, Spiritus Chriſti eſt, per quem omnia Deo ac Patri reconciliavit.* Vide ibidem longe plura.

Haec autem Cyrilli doctrina cum inſcriptionibus optime convenit, in quibus haud raro pro *Quieſcit in pace* reperitur *Quieſcit in Spiritu Sancto*, aut *Refrigerat in Spiritu Sancto*. Sicuti etiam pro *Benemerenti in pace* invenitur nonnunquam *Benemerenti in Spiritu Sancto*. Eodem refer quod Boldettus (cap. VII. p. 419.) in Coemeterio Cyriacae ſic reperit: HISPIRITO SANCTO MARCIANETI i. e. *In Spiritu Sancto Marcianeti* ſive *Marcianae* quod tantundem eſt ac conſuetum illud IN PACE ante proprium nomen.

Parum hoc eſt: illud majus, quod ſaepe hae duae formulae ἰσοδυναμοῦσαι (aequipollentes) tum ſcil. *in Pace*, tum *in Spiritu Sancto*, ſimul junguntur, ut non ſit dubitandum, quin idem plane notent. Talis eſt Fabrettianus lapis (p. 571. n. LII.) hujuſmodi. *Gemellinus Victoriae conjugi BENEMERENTI ISSPIRITO SANTO IN PACE.* Vbi tamen Fabretto non aſſentior, qui Victoriam ipſam vocari *Spiritum Sanctum* (ſicuti, inquit, *anima ſancta, anima innocens, anima dulcis* ut alibi paſſim) monet. Non: quia nefas erat ſollemne Divinae in Trinitate Perſonae nomen cum quovis alio commune facere. Accedit quod ISSPIRITO idem eſt atque IN SPIRITV: quo circa *Spiritus* non eſt per appoſitionem ipſa Victoria, ſed eſt Spiritus Paracletus.

Id vero ut clarius evadat, auxilio venient aliae plures inſcriptiones, in quibus in eadem formula praepoſitio CVM uſurpatur: IN PACE CVM SPIRITV SANCTO; aut CVM SPIRITA SANCTA. Scio quidem etiam iſtud SPIRITA pro anima defuncti a compluribus accipi, pro qua ſententia P. Lupum ſeſquicam doctiſſ. laudare poſſum. At vero tum demum *Spirita* pro humano ſumetur Spiritu, quum caret adjuncto Sancti: cujuſmodi eſt illud apud Muratorium pag. 1957. 8. SPIRITA VESTRA DEVS REFRIGERET pro *Spiritum veſtrum*: nam plures alloquitur. Sicuti & apud P. Lupum in Severae epitaphio, pag. 137. KALEMERE (vocandi caſu) DEVS REFRIGERET SPIRITVM TVVM *una cum ſororis tua* &c. At femininum *Spirita Sancta* nonniſi Paracletus eſt. Cur, inquis, feminino genere? Id docui in obſervationibus Evangelicis. Nam quia apud Hebraeos *Spiritus* רוח *ruah* eſt feminini generis; id etiam in titulos plebeios Chriſtianorum redundavit, eos ſaltem, quos Judaei Chriſtiani (quorum erat infinita multitudo) fieri curaſſent. Niſi volumus ab Judaeis Chriſtianis id & Chriſtianos non Judaeos poſtmodum imbibiſſe. De quo plura dicam ad Jo: Evangelium.

Inte-

11. Jam vero quod heic Hilarus junctim dicitur IN PACE ET FIDE CONSTITVTVS, id paullo aliter in aliis elogiis scribitur FIDELIS (13) IN PACE; aut IN PACE (14) FIDELIS. Quae locutiones inscriptioni nostrae aequalem vim habent, imo eodem plane omnes videntur quasi partu editae.

12. Atque hinc facile quorumdam difficultati occurritur, mirantium, cur inter tot millia Christianorum epigrammatum unus hic Hilarus *IN FEDE* [seu Fide] *constitutus* h. e. baptizatus reperiatur. Non enim solus sic inscribitur; quum tot alii synonymo vocabulo *Fideles* aut *Fideles in pace*, aut *Neophyti* nuncupentur. Mitto quod quidam *episcopi*, aut *presbyteri*, *diaconi*, *lectores* &c. inscribuntur: qui gradus baptismum supponunt. Aut si cetera desunt; at illud IN PACE vix est ut alicubi desit. *PAX* autem sive Spiritum S. & Vnctionis sacramentum [quod Adnot. 12. ostendimus] designat; & hoc ipso baptismum arguit, quia non nisi a fonte ascendentibus Spiritus S. h. e. Confirmatio dabatur: sive pacem Ecclesiasticam notat, ex S. Spiritu conciliatore profectam, quae non est aliud quam Fidelium h. e. baptizatorum quaedam veluti ferruminatio, per quam spiritualis aedificatio cohaeret.

13. Postremo eodem pertinent columbae aut oleae scalptae effigies, quae sunt Spiritus sancti Pacisque symbola. Eodem pertinent & navis aut piscium simulaera; quorum utrumque baptismum designat. De navi non est dubium. At pisces cur tinctos significent; pulchre expositi Tertullianus his verbis: *Nos pisciculi secundum ἰχθὺν nostrum in aqua* [baptismatis, de qua ibi differit] *nascimur*. Quid autem Tertulliano *ἰχθὺς noster* sit, nemo ignorat, qui antiquos legerit; apud quos celebris erat ἀκροστιχὶς illa Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ Υἱὸς Σωτὴρ [h. e. *Jesus Christus Dei Filius Servator*] ex quarum vocum initialibus litteris ΙΧΘΥΣ [*pisces*] exsistit, Christi nomen arcanum. Exstat Latina inscriptio apud Muratorium p. 1850. 10. in qua nullum aliud Christianismi indicium reperitur, quam quod ad finem integris litteris arcanum

istud

Interim corruptae hujus locutionis exempla, quae ad manus habeo, aliquot huc afferam. Apud Marangonium (in *Delle cose gentilesche trasportate ad uso delle Chiese*) pag. 460. exstat inscriptio (scalpta anno 291. ut ex consulibus intelligitur) in qua inter cetera legitur, REFRIGERA (h. e. quiesce) CVM SPIRITA SANCTA. Apud Muratorium [ex eodem Marangonio] pag. 1872. 6. Crispinus uxorem Aureliam sic alloquitur VALE MICHI KARA IN PACE CVM SPIRITA XANTA [notabis heic *pacem* Ecclesiasticam ex *Spiritu Sancto*, tamquam conciliatore, exsistere] VALE IN XPO. Pulchrior autem est illa Fabretti inscriptio pag. 574. num. LXI. [ubi etiam Pax ex Spiritu sancto manare docetur] sic habens: LEOPARDVM IN PACEM CVM SPIRITA SANTA ACCEPTVM. Fortassis enim sicuti per Baptismum *IN FIDE constitui* intelligebantur h. e. *fideles fieri*, sic per Confirmationem [quae aliter *Spiritus Sanctus* vocatur) ACCIPI IN PACEM dicebantur. Vtrumque vero Sacramentum simul eodem tempore dabatur. Hoc quidem a vero non abhorret. Quod si sequimur; illud IN PACE ET FIDE CONSTITVTVS notabit, Hilarum per baptismum *Fidelibus* adscriptum, per Confirmationem vero *Paci* ecclesiasticae adglutinatum fuisse.

(13) Duo hujus generis epigrammata submisit nobis Sabbatini amicissimi diligentia in sua Epist. sect. 12. utrumq. ex Muratorio pag. 1821. in quorum uno num. 8. de Aetherio quodam scribitur: FIDELIS IN PACE RECESSIT: in altero num. 4. sic narratur: *Hic requiescit FIDELIS IN PACE AEMILIANA* &c. Potuisset & tertium addere ex eodem Murat. pag. 1960. 7. VRCIA FLORENTINA FIDELIS IN PACE VIX. AN. V. &c.

(14) Reperitur hoc in Aquilejensi lapide apud Murat. pag. 1888. 5. ubi sic scribitur: *Innocenti SPO* (i. e. *Spirito*: id enim huic videtur fuisse nomen; aut certe sine ullo proprio nomine is περιφραζόμενος, *Innocenti spirito* h. e. *animae*) *quem elegit DOMS* (Dominus). *Pausat IN PACE FIDELIS X. Kal. Sept.* Hoc vero elogium haud parum rem nostram juvat; nam interne scalptus puer [idem scil. de quo epigraphe loquitur] ab Episcopo latice sacro aspersus, superne columba [h. Spiritu S.] illabente: ut vix dubium esse possit, quin illud *Fidelis* ad Baptismi perceptionem, illud vero IN PACE ad Confirmationis, seu Spiritus Sancti [per quem Christiana pax coalescit] receptionem pertinerit.

illud IXΘΥΣ ſcalpitur. Atque haec de priore tituli parte ſufficiant. Ad alteram & extremam tranſeo.

PARS ALTERA.

Ad ultimum tituli verſum: de duplici vitae Hilari ſpatio ante & poſt Baptiſmum. Num. 14. *Status controverſiae exponitur.* 15. *Tametſi in re adhuc integra, tamen in ſententia perſiſtitur.* 16. *Mos poſt annorum ſummam enotandi menſes ſupra XII. plurib. exemplis firmatur.* 17. *Qui mos non errauti ſcalpteris caelo, ſed certo conſilio eſt aſſignandus.* 18. *Is mos Chriſtianor. lapidum peculiaris fuit* (*nec enim Gruterianus lapis de eo eſt genere*) *quocirca pertinet ad arcanam temporis poſt baptiſmum emenſi deſignationem; quod tempus per voces aenigmaticas indicari ſolebat.* 19. *Aut vero per menſes ſupra duodecim.* 20. *Raro* (*ubi ſcil. longius*) *per annos: aut* (*ſi breviſſimum*) *per dies ſupra triginta.* 21. *Illud P quum ſit inſolitum & complicatum, non poteſt niſi* Plus minus *notare.* 22. *Praeſertim quum etiam P ſimplex* [*non ſequente nota ut MINVS*] *ſaepe conjuncti adverbii* Pluſminus *ſit vicarium: quod plurib. exemplis docetur.* 23. *Inter quae Muratorianum elogium, quod Sabbatinus ſect.* 27. *tanquam ſibi ſatens, recitat, locum tuetur ſuum. Aut ſi P. ſolitarium non notet* Pluſminus, *ſed duntaxat PLVS; idem prorſus de Hilari epitaphio dicemus.* 25. *Epilogus. Oſtenditur MS. non aliud poſſe quam* Menſes *notare.* 26. *Duo argumenta proponuntur, unum ex nota denarii ſuperne addita.* 27. *Alterum ex Hilari oſſibus integris arceſſitur. Oſſa in juvenibus molliora, in ſenibus eſſe duriſſima, docetur ex medicis.* 28. 29. *Ex ultimis Georgii litteris vera effigies quatuor litterarum* [*de quibus litigatur*] *proponitur.* 30. *In qua nexus litterae P, in P. M.* (*h.e.* Plus Minus) *eſt reſolvendus.*

14. Priore in epiſtola contenderam, in illo nexu, qui in littera P cernitur, latere conſuetam formulam PLVS MINVS, ſequens vero L ad numerum annorum pertinere, ac totum ultimum verſum ſic eſſe legendum: *Vixit annos plus minus L. menſes XXV.* Id vero totum quia paucis complexus fueram; meam breviloquentiam fraudi fuiſſe pluribus animadverti: inter quos vir amiciſſ. Lud. Sabbatinus meae interpretationi obſtrepuit, ratus ſic eſſe ſenſu obvio verſum illum pronuntiandum: *Vixit annos plus minus XXV.* Quocirca (quando eo ventum eſt hodie ut in rebus non difficillimis ſpiſſa eudenda ſint commentaria) age noſtram interpretationem clarioribus argumentis, ſi poſſimus, fulciamus.

15. Ac principio eo nunc loci res eſt, ut ſine ullo famae meae detrimento poſſim, ſi velim, receptui canere. Quid enim? Tu quidem Cl. Georgi, litteris iis, quas ad me ante aliquot menſes, hoc eſt V. Idus Februarias, ſcripſiſti (quas adhuc in ſcriniis ſervo) P illud ita a te delineatum miſiſti, ut tribus tranſverſariis ductibus implicaretur, duobus ſupra orbem, uno vero inferne, in hunc modum

. Hanc vero nexus illius effigiem equidem pro PL. M. h.e. *plus minus* accipiebam: tum hoc poſito, cetera prono alveo fluebant. Poſtea inciſor Romanus ita P illud delineavit, ut producta tantum ſuperne elementi P haſta, illae interim ſupra orbem tranſverſae duae lineae prope diſparuerint. Jam ergo mutato rerum ſtatu, libere poſſim a priore ſententia reſilire, idque ſine ullo famae diſpendio: praeſertim quum Tu humanitate ſumma ſcriptis ad me litteris (quas adhuc in forulis meis habeo) totam illam in te transferas culpam, eamdem a me penitus amoliendam praedices. Vixerit ergo Hilarus annis tantum XXV. Quid in eo mali? imo tanto ille

felicior, qui citius ex his aerumnis ad ſuperna gaudia convolarit. Verum non ex animi obſtinatione, praeſertim in re tantula, ſed quod ita res ipſa poſcere a me videatur, adhuc, quocumque modo P illud ſe in lapide habeat, τῦ *Plus minus* eſſe vicarium cenſeo: etſi id quidem non praefracte atque obſtinate tueor; ſed tamen id ſenſu obvio longe [ita me Deus juvet] probabilius judico.

16. Jam primum omnium novum hoc in Chriſtianis inſcriptionibus non eſt, quod poſt annorum ſummas, quos aliquis tranſegerit, addantur & menſes plures ſupra XII. quos facile fuiſſet in annos redigere, niſi id conſilio factum fuiſſet, ac myſterium aliquod ſub cortice deliteſceret. Et exempla quidem menſium ſupra XII. poſt annos notatorum quum equidem plura paſſim obſervaſſem, nec tamen ea de re in priore epiſtola (quia brevitati ſtudebam, nec ſatis ad ea corradenda tunc erat otii) meminiſſem; Sabbatinus meus percommode auxilio venit, ac meis unice rationibus providens, ſuppeditavit titulos aliquot, quo meam ſcilicet cauſam meliorem efficeret. Exempla porro tum Sabbatiniana, tum mea in unum veluti faſciculum (15) inferne redacta reperies: quibus hunc Hilari titulum accedere debere, non dubito.

17. Dixeris fortaſſe, quoties plures quam XII. menſes adjiciuntur annis, id eſſe ſcalptorum oſcitantiae tribuendum. Verum ſi ſemel aut iterum id occurreret; darem manus. Nunc quum pluries id factum reperiatur; non id erranti ſcalptro, ſed certo conſilio eſt aſſignandum, ac retruſiorem ejus rei cauſam aliquam ſubeſſe oportet. Quamnam, inquis, cauſam? Nulla me rationis aſſignandae tenet neceſſitas. Nam quaecumque demum ea fuerit; eadem certe cauſa & in Hilari titulo effecit, ut annorum ſummae menſes inſuper XXV adnumerarentur.

18. Verum age, ejus moris cauſa, ſi qua poſſumus, in lucem proferatur. Ea quidem notandi conſuetudo Chriſtianorum (16) lapidum peculiaris fuit: quumque ſit obſcu-

[15] Exempla ex Sabbatini viri amiciſſ. ſect. 17. haec ſunt. Apud Murat. p. 1933. 1. *Qui* [Paſtor] *vixit annis LXII. M. XV.* Apud eumdem p. 1957. 5. *Victoria quae vixit annis XLVI. menſ. XXXVI.* Apud Gorium to. 3. p. 337. & Fabrett. pag. 222. n. 588. *Qui* [Flaniggo] *vix. ann. L. M. XV.* Mox additur: COGNATVS (h. e. quod Itali vocant *il Cognato*: quam vocem falſo antea barbariei ſuſpectam memini me in Comment. ad Kalend. Marm. ad 14. April. Latio reſtituiſſe, tum ex hac inſcriptione ibi expoſita, tum ex aliis pluribus) DVLCISSIMVS SORORIO AMANTISSIMO.

Poſt autem Sabbatini meſſem proderit ſpicilegium facere. Apud eumdem Murat. p. 1831. 2. Apollonius quidam vixiſſe dicitur ANNIS XII MENS. XXX. I. i. e. 37. Apud eumdem pag. 1842. 4. QVI [Abundantius] VIXIT ANNIS IL [i. e. *undequinquaginta*] M. XVII. His adde alia epigrammata tria ex eodem Muratorio infra ſect. 22. & 23. a me producenda, in quibus ſcil. P. ſolitarium conjuncti adverbii *Pluſminus* ponitur. Eorum primum ex p. 1950. 4. ſic habet: Q E (Nervinia) VIXIT ANNOS P. L. M. XXV IIII. h. e. *pluſminus* 50. *menſes* 29. Alterum p. 1927. 3. QVI (Primus) VIXIT ANN. P. L. XXV. i. e. *annos pluſminus* 50. (ſupple *menſes*) 25. Tertium ex p. 1954. 3. ubi Valerius *vixit in hoc ſaeculo annis* PLMS. XXXII. h. e. *pluſminus* 50. *menſes* 32. Verum de his tribus elogiis redibit mihi ſermo infra ſect. 22. & 23. Et haec quidem exempla ſunt e ſaxis Chriſtianis omnia; in quibus diſcreta habes ante & poſt baptiſmum ſpatia, quorum illud, ut pote longius, in annos, hoc alterum brevius in menſes colligitur.

[16] Nuſquam alibi, quod equidem ſciam, niſi in uno Gruteriano epigrammate pag. 687. 7. [quod ethnicum videtur] ſupra annos XIII. menſes inſuper XL. adnumerantur: quod epigramma quia Sabbatinus ſect. 17. protulit; ferendum de eo judicium fuerit. Lapis ſic loquitur: IANVARIAE. QVAE. VIX. ANN. XIII. MENS. XL.

Follem heic equidem contendere, hoc marmor Chriſtianum fuiſſe ex hoc ipſo indicio, quod menſes ſupra XII. in eo enotentur. Nec dicas, Fabrettum in emendationibus Gruter. huic elogio praeſcripſiſſe conſuetum illud DIS. MANIB. Nam etiam Chriſtianis epitaphiis tum D. M. & D. M. S. ſaepiſſime reperitur, tum etiam [apud Murat. p. 1928.] integris litteris DIS MANIBVS, ut & alibi.

Tamen demus, ethnicam fuiſſe epigraphen, nec

ſcuriſſima, non poteſt non ad arcani diſciplinam pertinere. Ergo quemadmodum baptismi perceptio in elogiis nonniſi dimidiatis (17) locutionibus ſubindicatur; ſic & novae illius poſt lavacrum profeſſionis tempus ad mortem uſque decurſum ſignificari, ſed tamen perquam obſcure (18), placuit. Nam & militiae (19)

nec in ea deſcribenda erraſſe Jacobum Mazochium [ex quo illam Gruterus affert] virum in deſcribendis epigrammatibus Vrbis non indiligentem: praeſertim quum Fabrettus nihil in his numeris mendi repererit.

Quid ergo eſt? Ajo ſcalptorem MENS. XI. notare in animo habuiſſe, ſed errante caelo L pro I ſcalpſiſſe. Is error proniſſimus fuit, praeſertim marmorariis lõge majora peccare ſolitis.

At illo modo, inquis, nodus non tam ſolvitur, quam reciditur. Ajo igitur ad ultimum, in quibuſdam ſaxis, tum aevi Auguſtei [praeſertim in quadam Caeſaris Auguſti Sententiae fragmento, quod penes me eſt] tum in primis ſequioris aetatis, litteras I, L, T ita promiſcue uſurpari atque inter ſe confundi, ut judicio magis quam oculis fidendum. Nec enim decernere queas utrum tranſverſae lineolae (parum admodum foras porrectae) ſint mera terminalia tertiae vocalis ornamenta, an vero ſint τὸ L aut T διαφορικοί (diſcriminantes) apices. Nam ſaepe merum I ſive pro T, ſive pro L, interdum etiam pro E capitur. Alibi vero ſaepe L aut T pro I eſt accipiendum. Talem equidem Gruteriani hujus marmoris ſcripturam fuiſſe cenſeo: in quo elementum, quod mentiebatur L, pro mero I fuit habendum.

Ad ultimum demus omnia, & ethnicum fuiſſe epitaphium, & ejus auctorem annis XIII [ſive potius XIIII. ut emendat Fabrettus] admetiri *menſes quadraginta* voluiſſe. Quid tum poſtea? Dicemus enim, quod Chriſtiani tempus poſt baptiſmum in menſes colligere conſuevilſent, id gentiles [ex conſueta ſcil. diaboli κακοζηλίᾳ] fuiſſe aemulatos. Quid enim illi, maxime temporibus ultimis, non ex Chriſtianiſmo in ſua ſacra tranſtulerunt? Id vero ſicubi factum ab iis fuit, in baptiſmi certe ritibus myſticiſque arcanae notionis vocabulis potiſſimum moliri fuerunt, quorum plura ad ſacra Mithriaca aut Eleuſinia tranſtulerunt: de quo me alibi quaedam ſcitu non injucunda animadvertiſſe memini.

[17] Cujuſmodi ſunt illa PERCEPIT aut ACCEPIT, itemque *Perceptio* aut *Acceptio* abſolute poſita. Vide Adnot. ſequentem.

[18] *Saxa in quibus baptiſmi tempus ſed non niſi αἰνιγματωδῶς & per ambages deſignatur. Quid PERCIPERE & ACCIPERE. Arriani locus exponitur.*

Sic Euphrosinae apud Gudium pag. 318. 18. enotantur ſeorſum, nativitatis, PERCEPtionis [h. e. baptiſmi] & mortis ſubſecutae tempora. Sic etiam apud Fabrettum pag. 577. num. LXX. quot annos Paſchaſius vixerit, quo die PERCEPIT [ſupple lavacrum] & quod ALBAS SVAS AD SEPVLCRVM depoſuerit, inſcriptio pulcherrima eloquitur. Et apud eumdem Fabrettum p. 563. n. XXXIX. de Kampano notatur non tantum quoto anno decelſerit, verum etiam quoto poſt ACCEPTIONEM (h. e. baptiſmum) die. His adde ex Muratorio Catanenſem Nilae Florentinae titulum (quem ſupra parte I. illuſtravimus, in quo diſcreta habes nativitatis, merſionis, & obitus tempora) nec non alterum, quem idem ex Marangonio pag. 1870. num. 4. profert, in quo poſt vitae annos, additur: ACCEPIT (ſupple baptiſmum) III. KAL. IVL. DEPoſita VI. KAL. NOVEMBRES, quarto ſcil. poſt acceptionem menſe.

Ex his vero exemplis non tantum elucet ſedulitas in adnotando tum baptiſmi tempore, tum etiam ſpatio poſt ejus perceptionem emenſo, verum etiam in ea re per ambages ſignificanda fidelibus, exteris obtegenda, dexteritas. Poſtremo & id quoque intelligimus (quod in priore epiſtola attigi) PERCIPERE & ACCIPERE per ſe poſita, eſſe arcana verba merſionis peculiaria: ac tandem, qui arcani diſciplinam in lapidibus neglectam ſtatuunt, nae eos miſere ad ſaxa vetera offendere.

Jam vero quod modo dixi, ACCIPERE & PERCIPERE fuiſſe arcana verba, cave inde ſtatuas, ea curiolis rerum noſtrarum rimatoribus latuiſſe: idque non tantum ex eo patet indicio, quia ea verba exteri ad ſacra profana tranſtulerunt [ut in priore Epiſt. Adnot. 3. innui], verum etiam quia id verbum Arrianus Hadriani aequalis de baptiſmo Chriſtianorum [quos is *Judaeos* conſuevit vocare] uſurpaverit. Locus illuſtris eſt ex Epict. diſſertationibus Arrianeis II. 9. in haec verba ex Hier. VVolfii interpretatione. *Quod ſiquem alternantem viderimus, dicere ſolemus, non eſſe Judaeum* [h. e. Chriſtianum] *ſed ſimulatorem. Quum autem affectum illa diſciplina imbuti ſectamque profeſſi adhibuerit; tum re vera Judaeus & eſt, & nominatur.* Sed poſteriorem ſententiam non eſt aſſecutus interpres: quae Graece ſic habet: ὅταν δ' ἀναλάβῃ τι ἀπὸ τοῦ βαπτιζομένου, καὶ

(19)conjugiique ſpatia in ſaxis notari mos fuit: cur non ſpiritualis militiae, conjugiique ſacrationis, quod in Baptiſmi [20] profeſſione contrahebatur? Verum illa palam edicebantur: haec ſub aenigmatum (de quibus tamen inter profeſſores convenerat) involucro. Quid enim niſi mera aenigmata illa ſunt, quum ſcribitur, quo ille tempore PERCEPerit, aut ACCEPerit, nec prorſus quid perceptum ſit, enuntiatur? Et tamen hunc in modum, uti vidimus, epigrammata plura procedunt.

19. At alibi non injecta aenigmatum ſuſpicione, tanto ſunt tamen obſcuriora aenigmata. Tale hoc eſt, quod de menſibus ſupra XII. prae manibus habemus. Quum enim vellet fidelium pietas, quot annos defunctus ille ante baptiſmum tranſegerat, quot vero poſt baptiſmum, in ſepulcro enotare, id vero gentilibus clam eſſe cuperet; ſic inter illos convenit, ut longius tempus (ante baptiſmum ſcilicet, quem ad multam aetatem, niſi immineret fatum, differre conſueverant, ut in priore epiſtola in Adnot. 4. animadverti) per annos ſignificarent, brevius vero (quod baptiſmum ſubſequebatur) per menſes. En myſterii hactenus ignoti detectio.

20. Dixi brevius poſt baptiſmum tempus in menſes fuiſſe redactum: nam ſi vitae ſpatium, quod baptiſmum ſubſequebatur, longius fuiſſet; tum vero id non per menſes (quorum ingentem ſummam incommodum feſtinanti fuiſſet ad annos redigere) ſed per annos efferebatur. Quo pertinet illud clariſſ. Marangonii epigramma (21) pag. 458. AMANTIO QVI VIX. AN. P. M. XXXVIII. DEC. IN PACE... QVI FECIT (22) AN. XXX. ET MENS. VIII. Vbi poſterior ſumma eſt temporis poſt lavacrum: quod ſpatium quia operoſum erat per menſes enuntiare, idcirco ad annos redigi placuit. Poſtremo ſi vita poſt baptiſmum exacta perquam brevis fuiſſet, ſolebat ea interdum & per dies notari: cujus generis eſt exemplum, quod apud eumdem Marangonium ibidem reperio pag. 461. in hunc modum: *Aeliae Ianuariae Fil. & Martio marito & . . qui* [tres] *fecerunt IN C.* . . . (i. e. Chriſto, quia poſt Baptiſmum ſcil.) *dies XL. que Ianuaria vixit annis X*711 (23) *mes.*...

21. Accedit quod P illud inſolito modo complicatum quocumque modo ſeſe in lapide habeat, certe myſterio non caret. Tu quidem, Georgi amantiſſime, mihi deſcri-

ſῳηνειν, &c. Vbi βεβαμμένος ſine controverſia eſt *baptizatus*, uti conſtat ex ſequenti vocabulo ἐβαπτίσαι. Ergo ἀναλαβὼν i. e. *accipere* baptiſmum dixit, ſive [ut is loquitur] *Accipere paſſionem* [notione ſcil. philoſophica, qua πάθος & *Paſſio* notant quidquid rei accidit non pertinens ad ejus eſſentiam] *baptizati*. Verte igitur: *Vbi vero paſſionem baptizati ſectamque illam profeſſi acceperit, tum eſt re vera, ac vocatur Iudaeus* [h. e. Chriſtianus] perfectus ſcil. quem noſtri *Fidelem* nuncupabant. Sequitur: *Sic & nos adulterini ſumus* [Gr. παραβεβαμμένοι, h. e. *Sic & nos quaſi praevaricatores baptiſmi ſumus*: ex quo vides ſponſionum baptiſmi tranſgreſſores olim παραβεβαμμένους, novo ſed eleganti vocabulo nuncupatos] *nomine quidem Iudaei* [h. e. Chriſtiani] *re vero ipſa quoddam aliud* &c.

(19) Hoc omnes tirones ſciunt, in militum & conjugum inſcriptionibus ſolleerter adſcribi, praeter vitae annos, etiam quot quis militaverit, aut quot cum compare annos fecerit.

[20] In merſionis myſterio quoddam cum Spiritu ſancto connubium contrahi, antiquorum opinio fuit: quod pulchre exponit Tertullianus de Anima cap. 41. *Proinde quum ad FIDEM* [i. e. baptiſmum] *pervenit* [anima] *reformata per ſecundam nativitatem ex aqua & ſuperna virtute*... *excipitur etiam a Spiritu ſancto*... *Sequitur animam NVBENTEM SPIRITVI caro, ut dotale mancipium, & jam non animae famula, ſed Spiritus* [ſancti, cui ſcil. caro in dotem datur]. *O beatum connubium, ſi non admiſerit adulterium!*

(21) In libro, qui inſcribitur, *Delle coſe gentileſche trasportate ad uſo delle Chieſe*: ad cujus libri calcem eſt inſcriptionum recens detectarum ſylloge, quas auctor ipſe accuratiſſime e ſaxis excepit.

(22) QVI FECIT [ſupple in CHRISTO; quae locutio integra reperitur in ſeq. elogio Aeliae Ianuariae] AN. XXX. &c. *Facere* autem eſt conjugale verbum, quod Chriſtiani ad ſpirituale poſt merſionem conjugium tranſtulerunt.

[23] H. e. annos 18. Nam illud 7. in Chriſtianis tumulis nota ſenarii eſt, pro qua ſaepius Ϛ i. e. ſ Graecum, uſurpatur.

ſcripſiſti in hunc modum , ut mihi videretur in PL & M [h. e. *plus minus*] re-

ſolvendum fuiſſe. At poſtea Romanus inciſor in forma lignea, quam Palearini fratres inſeruerunt epiſtolae meae, ita expreſſerunt, ut tranſverſi ductus ferme evanuerint. Vel ſic tamen in eo nexu praeter P etiam Σ jacens latebit, h. e. *Plus minus*.

22. Fac vero, illud P non connexum eſſe, ſed ſimplex; vel ſic etiam poterit nudum P ϖ *Plus minus* eſſe vicarium. Qua de cauſa? quia ea formula [ſive integris litteris ſive per notas expreſſa] reperitur ſexcenties ita unico ductu ſcribi, quaſi ſi unicum ſit adverbium ex duobus compoſitum. Nihil enim eſt, frequentius quam PLVSMINVS nullo ſpatio diſcretum, aut [per notas] PLM. PM. &c. Itaq. poſtquam in unicum ea locutio adverbium coaluit, nihil pronius fuit, quam per P. ſolitarium *Plusminus* notari atque intelligi. Verum nequis me iſta ad libitum comminiſci calumnietur; en exempla, quae nunc quidem ad manus habeo. Apud Muratorium pag. 1914. 8. ex Boldetto ſic legitur: NABIRA IN PACE ANIMA DVLCIS QVI BIXIT ANNOS P [cum lineola ſuperne] XVI. M. V. Vbi illud P eſt loco integri adverbii compoſiti *Plusminus*. Qua in epigraphe Boldetto oculato teſti, quam [24] Fabretto libentius credo. Apud eumdem Murat. p. 1927. 3. B. M. PRIMVS QVI VIXIT ANN. P. L. XXV. h.e. *plusminus* [25] *ſeptuaginta quinque*. Apud eumdem quoque Murat. p. 1934. 4. ex Marangonio: *Ruſtice benemerenti maritus fecit: qui vixerunt annos IN SE* [h.e. *inter ſe*] *SEXEX* [pro *ſex*] *QVE* (Ruſtica) *VIXIT ANN. P. LXXVI.* h.e. *plusminus* [junctim ſemper] *ſeptuaginta ſex*. His adde pulcherrimum elogium Chriſtianum agri Interamnatis anno Chriſti 386. (ut ex conſulibus ſcalptis conſtat) inciſum, quod affert Murat. p. 390. 4. ubi *Nervinia Euteſia H. F.* [i.e. honeſta femina] . . . *vixit annos P. L. M. XXVIIII.* h.e. *annos pluſminus* 50. *menſes* 29. Et tamen Sabbatinus meus ſect. 27. hac recitata inſcriptione, ſic acclamat: *Punctum*, inquit, *inter P & L adponentes . . . ut PLVS exprimerent; MINVS autem per ſolam primam literam expreſſerunt*. Atqui vir amiciſſimus eo potius epiphonemate uti debuiſſet, per quod tandem agnoſceret, illud P. (utpote ſuo puncto praeditum) nihil cum ſequente L. habere commercii: quocirca P. quidem ϖ *Pluſminus* conjuncti eſſe vicarium; ſequens vero L. annorum ſummam complecti; ac poſtremo M. *menſium* legitimam notam eſſe.

23. Ac ſane videndum an non ad eamdem claſſem referri debeat Muratoriana inſcriptio pag. 1954. 3. quam Sabbatinus meus ſect. 27. produxit. *Requieſcit in pace ſanctae Chriſti Valeria, qui vixit in hoc ſaeculo annis PLMSXXXII.* &c. Nam notae ultimae non exponendae videntur, *Plus minus XXXII.* ſed [quia ibi P pro conjuncto *Plusminus* capitur] potius in hunc modum, *Plusminus quinquaginta, menſes XXXII*; itaut MS. ſit nota menſium, & haec quoque inſcriptio eodem pertineat, ad illas ſcil. in quibus annorum ſummae adduntur menſes, quos quis poſt baptiſmum decurrerit. Sabbatino meo id fraudi fuit, quod in exemplo Muratoriano ſpatia inter PL & MS, & rur-

[24] Hoc inter utrumque intereſt. Eum titulum Boldettus ex coemeterio Gordiani protulit, Fabrettus ex coemet. S. Agnetis. Adhaec pro illo P cum lineola ſuperne, uti Boldettus exhibuit, Fabrettus poſuit Π. Jam vero Fabretto [ſi hic mavis] in eo credamus: vel ſic tamen illud Graecum elementum vel erit loco Latini P, vel nota erit Graeci adverbii ex duobus compoſiti Πλειονέλαττον [quod in titulis Graecis legitur] h. e. *Plusminus*.

[25] Niſi vero [quia poſt L. ſcalpitur punctum] duae contineantur ſummae, una annorum, altera menſium, in hunc modum, *Vixit annis plusminus quinquaginta* [menſes vero] *XXV*. Et hoc alterum verum eſt, quia L. non tantum puncto afficitur, ſed nimium etiam a ſeq. XXV. removetur. Erit haec igitur epigraphe inſcriptionis Hilari germana ſoror. Vtrobique prior ſumma ad tempus ante merſionem, poſterior ad poſt baptiſmum refertur.

rursus inter hoc & sequentes numeros, interjecta vidit in hunc modū PL MS XXXII. Ea vero spatia Sabbatinus etiam punctis de suo interpositis [quae a Muratorio absunt] distinctiora fecit. At in Christianis titulis raro puncta interponuntur, & plerumque confertim scribuntur omnia in hunc modum, PLMSXXXII. Quod siqua forte interstitia modica [contra quam conjeci] in hisce notis intercesserunt, nihilo minus spatioli inter P & L interfuisse suspicor, & in hunc maxime modum spatia [siqua fuerunt] fuisse digesta: P L MS XXXII. h.e. *plusminus* 50. *menses* 32.

24. Jam vero fingamus P illud solitarium, quod in quinque proxime recitatis ex Muratorio inscriptionibus ante notas numericas ponitur, non esse notam τὸ *Plusminus* junctim usurpati. Cedo igitur quidnam significabit? Quoad nemo mihi id expediet, dicam equidem ecquid aliud P illud μονοσήμαντον designare possit. Potest, inquam, significare PLVS solitarium sine comite suo MINVS: ejusque interpretationis habeo non leve [26] indicium. Hoc posito, in primo ex productis elogiis NABIRA vixerit ANNOS P [i. e. *plus*] XVI. in altero PRIMVS vixerit ANN. P. L. XXV. h. e. *plus L. menses XXV.* in tertio vero Rustica transegerit ANN. P. LXXVI. i.e. *plus* 76. ad haec in quarto Nervinia vixerit ANNOS P.L.M.XXVIIII. i.e. *annos plus* 50. *menses* 29. postremo Valeria vixerit ANNIS PLMSXXXII. i.e. *plus L. menses* XXXII. Nam in ultimo quia MS. [uti mox dicam] non nisi *menses* notare potest; necesse erit, praecedens L. numericam annorum esse notam. Quum ergo in his epitaphiis P. solitarium notet PLVS; idem prorsus & de Hilari aetate judicium erit. Nam si forte modis omnibus contendas, illud P, quod ante L ultimo versu legitur, esse nudum ac simplex elementum, nec ullo nexu praeditum; tum vero ultima verba tituli VIXIT. ANNVS. PL. MS. XXV. interpretabor in hunc modum: *Annos plus quinquaginta, menses XXV.* Aut quidquid demum in supra scriptis titulis erit illud P. solitarium, idem prorsus & in Hilari monumento erit. Nam quo minus in Hilari titulo P. cum sequenti L coalescat, prohibet MS. quod statim sequitur: quod quum non aliud quam *mensium* nota esse possit [uti proxime ostendam] necesse est, praecedens L. annorum fore omnino notam.

25. Ex iis, quae hactenus disputavimus, efficitur in ultimo Inscriptionis Hilari versu P illud solitarium non esse, sed ita complicatum, ut non aliter quam in P & M h. e. *Plus minus* resolvi debeat; praesertim quum etiam P solitarium nonnumquam stet loco compositi adverbii *Plusminus*: quanto magis in Hilari titulo, in quo illud P cum M jacente connecti videtur? Ac postremo etiam si P illud sit nota solius monosyllabi *Plus*; dabo manus, modo ne cum sequenti L coalescat, cum quo certe nihil commune habet. Nam accedit altera ratio, quae plane cogit, ut quo modo dixi, sit exponendum: nempe quia sequens MS. non est nota τὸ *Minus*, sed *Mensium*: de quo nolo eadem, quae in priore epistola posui recoquere. Adeatur tamen Valerius [27] Probus, & ceteri Notarum Romanarum scriptores; ac sicubi MS. pro *Minus*

[26] Indicium mihi praebuit inscriptio, quam amicus noster Sabbatinus sect. 23. ex Muratorio profert in hunc modum: *Hic requiescit in pace Barbara, quae vixit annis PLLXXX.* Vbi illud PLL non aliud notare potest quam PLVRES (sicuti AVGG designat plurative *Augustos*) non vero *Plus minus*, quod ibi vir amicissimus pertendit. Ex quo primum hoc intelligimus, morem fuisse notandi τὸ PLVS sive PLVRES (sine MINVS) ubi scil. certum erat, non circiter tot annos illum vixisse, sed plures: deinde si PLL. significat *Plures*, fore, ut P. solitarium designet singulariter *Plus*.

Ac scio equidem, eam epigraphen in Muratorio non exitare, nec p. 1575. n. 3. (unde eam citat Sabbatinus) nec in indicibus. At non continuo illam a Sabbatino aut aliis confictam dicemus. Nam cui bono cuderent, non sibi, sed aliis deservituram? Ergo alicubi ea certe fuit, quam incogitans ex Muratorio p. 1575. citavit.

[27] Primus qui librum de *Notis Romanorum* scriptum reliquerit, fuit Valerius Probus gram-

Minus accipiatur, non dubitabo causa cadere. Atqui Sabbatinus meus sect. 27. inscriptionem unam protulit, quam modo recitavi, in qua contendit, MS τὸ *Minus* esse vicarium. Id si clarum esset; tamen respondere liceret, unam hirundinem ver non efficere, & marmorarios peccare saepissime, & quae talia responderi solent. Tamen iis responsionibus minime indigeo, tum quia proxime ostensum fuit, τὸ MS in Muratoriano Sabbatini mei exemplo nihilo secius *Menses* significare [sicuti & praecedens PL notat sive *Plusminus L.* sive *Plus L.* de quo vide quae proxime n. 23. disputavimus] tum etiam quia, etiamsi in hoc unico Sabbatiniano exemplo MS sit *Minus*, at in Hilari titulo ea interpretatio locum habere non possit, quia jam praecesserat integrum *Plus Minus*, quod in P complicato non tam latet, quam lingua exserta eloquitur, clamitans, se esse ex P & M compositum, ac τὸ *Plus minus* vicarium. Est enim elementum insolitum, nec aliter ac dixi explicabile.

26. Accedunt argumenta duo, quorum unum forma lignea epigrammatis Hilari Romae excusa, alterum narratio Diarii Romani suppeditat. Prius argumentum tale est. In ea forma, quam & Sabbatinus meus excudi fecit, post L reperitur superne denarii nota imminens litterae M, uti vides in apposito typo, versu ultimo.

Illa autem nota denarii quorsum pertinet, nisi ut cum praecedente L. numerum sexagenarium annorum constituat? Nam quum oblivioso scalptori illud X. excidisset, caute supplevit, illud superne adscribens: quod & alibi in ipsis lapidibus a me lustra-

grammaticus non ignobilis, Neronis aequalis: quem librum primus, quod sciam, Jac. Mazochius, ex Ms. Muriangeli Accursii erutum, Epigrammatibus Vrbis a se praepositum edidit, mox alii plures ediderunt. Apud eum in Mazochio sic legitur: *MS menses* at in Dausquio sic scribitur: MS. *Mensibus* vel *Menses*. Prorsum in eo deinde secuti sunt & ceteri Notarum Rom. scriptores, uti Minutius in Orthographia, ac Sertorius Vrsatus. Quamque Sertorius uni cuilibet Notae plurimas significationes subiicere inverit; τὸ MS. non aliud quam *Mensis* significationem assignavit, ac praeteret [ex indice notarum Gruteriano] *Majestati*.

Iuſtratis reperi. Quae quum ita ſint; littera L non ad praecedens P eſt referenda, ut cum eo elemento conſtituat monoſyllabum PLVS, ſed ad ſequens X ſuperne ſcalptum, ut intelligatur Hilarus non quinquagenarius, ſed ſexagenarius lavacro tinctus.

27. Alterum vero argumentum Diarii verba ſuppeditant haud longe ab initio, ubi ſic legitur. *La mentovata iſcrizione . . . è ſtata cavata dal Cimiterio . . . in SITO PROFONDO E RIPIENO D' ACQVA; ciò non oſtante le oſſa che ſtavano dietro all' iſcrizione erano MOLTO BEN CONSERVATE, ed anche il CRANIO, e dalla mole dimoſtravano di eſſer di uomo di GRANDE CORPORATVRA.* Habes heic non tantum oſſium Hilari duriorum, ſed & ipſius calvariae miram in loco uliginoſo firmitudinem, habes & eorundem craſſitiem. At horum utrumque in juvenem XXV. annos natum non convenit, ac nonniſi in ſexagenarium aut ſaltem quinquagenarium (quot ſcilicet annos Hilarus numerabat) convenire poteſt. Quod ſi mihi minus accreditur, videatur de eo quid Medicorum (28) filii cenſeant.

Haec ad te pluribus, quam voluiſſem Georgi ſapientiſſime, ſcribenda putavi. Nam

[23] Commune medicorum dogma eſt, infantium oſſa συκαιτω (*conſiſtentia*) ferme cerea donari: deinde quo plus aetate proceditur, eo plus ſemper duriora fieri. Id quidem ex non dubiis Hippocratis & Galeni locis ubi comperiſſem; acceſſit deinde Nicolai Frongilli in Neap. Gymnaſio Regii Chirurgiae Profeſſoris doctiſſimi accuratio; cujus eruditioni ac diligentiae plura eorum, quae ſequuntur, debeo.

Atque ut a Coo medicinae parente ordiar; puerorum oſſa tenuiora ac molliora eſſe, quia plus ſanguinis habent, non dura, non denſa, non firma, docet Hippocrates in *de vulneribus capitis*, ubi legatur quoque Vidius in commentario. Deinde augeſcente puero ſecundum membrorum formas, tunc & oſſa ſenſim duriora fieri, idem tradit in *de Natura pueri*. Ab ea eſt cauſa, quod junioris os magis & citius purulentum evadit, quam ſenioris; & quod quandocumque mors ex vulnere ſecutura eſt, citius juvenis, quam ſenex intereat, ex eodem Hippocrate in *de vulner. capitis* textu 30.

In eamdem ſententiam diſſerit & Galenus locis pluribus, ac praeſertim in II. de temper. 2. ubi ſeniorum animalium non tantum oſſa omnia, ſed & ligamenta univerſa praeſicca [h. e. dura] fieri ſtatuit: quem locum idem illuſtris medicus in III. com. ad Aphor. Hipp. 31. citat his verbis: *Dictum autem a nobis eſt & in commentariis de temperaturis, corporis partes in ſenectute fieri ſiccriores.* Quod ſi in ceteris partibus valet, quanto id magis in oſſibus? *Siccitas* autem Galeno (ad quatuor qualitates referenti ceteras quaslibet) tantumdem eſt, quod nobis *duritiei* dicitur.

Venio ad recentiores. Oſſa ex fibris mollibus initio componi, quas poſtea ingenita vis caloris exſiccando rigidiores quotidie durioreſque efficiat, ex Hippocr. *l. de carnib.* & ex Galeno lib. *de ſemine* infert Molinetus p. 22. media. Senum oſſa ideo duriora fieri, quia in his vaſa obſtruantur, ac veluti ſtrangulentur; contra puerorum eſſe mollia, quia ſcatent vaſis copioſiſſimis, per quae nutriuntur; eaque de cauſa in juvenibus oſſa rubeſcere, in ſenibus albeſcere, tradunt VVinslovv *Expoſit. Anat.* to. 1. Courtial. *Obſ. Anat. ſur les os*, Ruyſchius *Theſ. Anat. tab.* 1. 2. 3. A puerilium autem oſſium teneritudine ad ſummam illam ſenilium duritiem non ſtatim uno tempore, ſed per gradus proceditur, ita ut quadragenarii oſſa teneriora ſint quam quinquagenarii, & hujus quam ſexagenarii, ac deinceps. Poſtremo in ſenectute ſumma duriſſima fieri, quia in aetate provectioribus fibrae ſibi artiſſime adhaerent, ita ut nullum admittant emollientem humorem, idem Courtial luculenter demonſtrat.

Eodem pertinet, quod quum calvariae, maxime circa ſuturas, ſint ceteris oſſibus molliores; tamen eas ſuturas in ſeniorum capitibus plerumque abolitas atque deperditas obſervari, teſtetur Columbus in I. *de re Anat.* ubi de oſſibus. cap. 5. Ex quo efficitur, juniorum calvarias vix aut aegre integras ad longam aetatem perennare: ſeniorum vero (idque quo plus aetate proceſſerint) facilius, ob eam, quam dixi, cauſam. Proinde quum Hilari cranium non minus quam oſſa cetera, integrum aquoſiſſimo in loco duraverit, eum majorem quinquagenario fuiſſe neceſſe eſt.

Poſtremo & ab eadem cauſa fit, quod in ſenibus oſſa fracta difficilius propter duritiem coaleſcant, uti Bartholinus docet: in tantum ut in provectioribus glutinationem illam fieri ullo modo poſſe prorſus negaverit Avicennas. Indidem quoq. & illud fit, quod ſenum oſſa propter duritiem frangantur facillimae, juvenum vero propter mollitudinem ac flexibilitatem difficilius.

Digitized by Google

Nam quum priore breviloquentia apud nonnullos offendiſſem; efficiendum fuit, ut nunc quidem peccarem in partem alteram; & copia magis, quam brevitate enecarem. Quod rogo Te, Georgi amantiſſime, pro eo quanti me facis, ut aequi bonique conſulas. Vale. Neapoli XII. Kal. Decemb. Ann. 1745.

Poſt Scripta.

28. Tandem aliquando, Georgi humaniſſime, redditae mihi a te ſunt illae litterae, III. Non. Decemb. datae, quas unice cupiebam; in quibus me docuiſti, quonam modo P illud in Hilari epigrammate ſe habeat. Nam haud aliter ac rogaveram, per virum induſtrium atque in hiſce rebus exercitatum, juſſiſti quatuor elementis PL MS applicari chartam; in qua in litterarum ſulcos penitus depreſſa, exterius ductus illos oblini minio curaſti. Quo facto ſchema [29] tale exſtitit, quod heic exhibeo ea utique magnitudine, quam in lapide obtinet, cumque eo tranſverſarum linearum modulo, quem praeſefert lapis.



29. Ac primũ omnium doleo mihi argumentũ deperiiſſe illud, quod modo [ſect. 26.] ex denario ſupra M ſcalpto petiveram. Is enim denarius (ut ibi dictum) cum praecedente L coaleſcere deberet, ut cum eo numerum ſexagenarium conſtitueret. Et tamen hujus nunc argumenti vim mihi ultro deperire, uti dixi, patior. Nam in hoc ſchemate non eſt ille denarius, ſed mera crux, quae non tantum elemento M imminet, verum etiam litteris duabus praecedentibus P & L [quibuſcum crux tamquam unico ductu conjungitur] & ſequenti S. Ac poteram equidem varietatis hujus nullam heic mentionem injicere; praeſertim quum Sabbatinus meus inſcriptionis formam Romae excuſam non tantum ratam habuerit, verum etiam eamdem in aes inciſam epiſtolae ſuae inſeruerit. Nam etiam in Sabbatiniana inſcriptionis effigie litterae M denarius impendet. Poteram ergo Sabbatini confeſſione frui, nec typum, quem modo exhibui, litterarum quatuor producere: quo impune (quis enim me cogit?) ſuppreſſo, argumentum illud ſtaret: nunc vero eodem deprompto, de manibus mihi ultro elabitur argumentatio. Sed tamen litare veritati malui, quam ſuppreſſo vero, fucum lectori facere.

30. Deinde ex eo quod quatuor his elementis, uti dixi, cruces imminent, illud etiam ſequitur, ubi crucem a littera P amoveris, non duos amplius ſupra orbem ductus [qui in ſpeciem ineſſe elemento illi videntur] ſed unum tantũ ſuperfuturum. Et heic quoq. Georgi amantiſſime, potuiſſem impune offucias Sabbatino meo & lectoribus facere.

Quis

[29] Eodem prorſus (ne apice quidem minus) recidit earumdem quatuor litterarum ectypon alterum, quod in cera ex ipſo lapide expreſſum miſit ad me Januarius Xyſtus V. Cl. (olim in Neap. Gymnaſio Regius linguarum orientalium Profeſſor, nunc in Vaticana Bibliotheca Hebraicae linguae Scriptor) paullo poſtea, qui exemplar ab eruditiſs. Georgio acceperat.

Quis enim me coegit quatuor elementorum effigiem proponere? Potuiſſem ſane unius tantum P controverſi ſchema huc afferre: in quo quia crux cum P coaleſcit, quis ibi crucem agnoviſſet? imo quis non duas ſupra orbem ejus litterae tranſverſas lineas deprehendiſſet? Accedit, quod vir ille induſtrius, qui litteras illas quatuor in charta lapidi applicita excepit, nullam elemento P imminentem crucem agnoverit, imo (litteris tuis teſtibus) alterum ibi transverſum ductum ſibi videre viſus fuerit. Ergo ſi P duntaxat cum cohaerentis crucis appendice propoſuiſſem, potuiſſem triumphum (30) canere. Sed tamen non tantum Platone & Socrate, ſed me quoq. ipſo magis amicam veritatem duco. Quamquam jam dixi millies, me non plus, quam duabus tranſverſariis lineis indigere, quae cum orbe medio jacens Σ conſtituant; itaut nexus ille qui ibi eſt, in P & M [h. e. *Plus minus*] reſolvi debeat.

31. Poſtremo ſub prelo ipſo animadverti (ac doleo, quod non antea in id animum intenderim) in typo hujus miri elementi P emergere ad ejus radices alteram tranſverſam lineam; cujus non video, cur non habenda ſit ratio. Ergo ex haſtili recto tres prodeunt tranſverſi ductus aequidiſtantes, duo in haſtae extremitatibus, in medio tertius; ita ut ex iis & ex ipſo haſtili fiat vocalis E. Quid hoc vero ſibi vult? Vno verbo. Sicuti in exemplis ſupra p. 53. 54. allatis P. ſolitarium ſignificat PLVS (ut ſect. 24. oſtendimus) ita hic nexus (qui reſolvi debet in PE, ſive potius PPE; quia litteram P bis ſumi licet) ſignificabit PROPE. Nam ſicuti in Chriſtianis ſaxis PPA eſt *Papa*; ſic PPE erit *Prope*; ita ut legi debeat, *Vixit annus prope L. menſes XXV.* Et hoc multo verius videtur. Simul vides, alicubi uſurpari *Plus minus* h. e. *Circiter*, alibi P. i. e. *Plus*, heic vero nexum talem, qui *Prope* ſive *Minus* deſignet. Et in hac demum interpretatione conquieſcere poteram.

32. Quid ſi vero illud, quod in nexu videtur E, revera accipiendum ſit pro (m) minuſculo (quod antiquis fuiſſe uſitatum, oſtenditur in priore Epiſt. Adnot. 7.) nō recto, ſed jacente? Hoc ſi mavis; tum vero nexus ille nota erit conſueti *Plus Minus*. Vtcumque vero lector ſtatuerit; ſemper certe (in quo rei caput eſt, quodq. mea unice intereſt) ſequens *L.* non cum *P* praevio coaleſcet, ſed *quinquaginta* notabit. Et in hiſce poſtremis duab. explanationib. finē ſcribendi faciens, haud pluribus te, Georgi ſuaviſſime, morabor.

33. Ceterum quod a me quaeris, ecquo apud me loco ſit, quod reſtat in marmoreum Kalendarium Commentarii, nae tu id amice ac peramanter facis. Verum, ut ille ait, *Ad me ſumma ſolum*, Georgi, *redit: egomet hoc intrivi; mihi omne eſt exedendum.* Ac dātur per me quidem opera, ut quam citiſſime fidem liberem: verum quantum acciſae vires ac valetudo patitur. At tuam in edendis optimis fetibus quis aſſequi felicitatem poſſit? qui (ut opera egregia tua cetera taceam) Adonis, ut audio, Martyrologium opinione citius tam pulchris atque opportunis animadverſionibus nuper illuſtraveris, ut nunc demum Adonem habere nos videamur, imo & cum Adone penum Eccleſiaſticae antiquitatis uberrimam. At nos, praeter inſitam inopiam ingenii, adjumenta omnia deficiunt: caremus ſcriptis codicibus, caremus monumentis omnibus, atque iis gazis, quibus Vrbs veſtra aeterna circumfluit. Ergo praeſtabitur per nos, quod poſſumus, quando quod volumus, negatur.

34. Ac neſcio quo pacto in Kalendarii textu (non illo, qui in aes inciſus fuit, ſed in eo, quem per dies ſingulos mihi explanandum propoſui) mendae mihi duae exciderunt menſe Januario. Cujus die XII. MARCINIANIE pro MARCINIANI exhibui, quum hoc poſterius in marmore legatur. Verum ſatis ſalvae res ſunt, quia eo die femina, non mas, colitur: quocirca ultimam ibi diphthongum ſcalptor omiſit,

(30) Quid enim ad juſtum triumphum reliquum foret, quando in P complicato duo ſuperne ductus cernerentur? ita ut totus ille nexus in tres eſſet litteras reſolvendus PL. & M. h. e. *Plus Minus*: quemadmodum in priore Epiſtola expoſitum fuit.

sit, seu potius compendifecit. Deinde ad XVII. diem ANTONINI pro ANTONI (quum tamen hoc alterum in monumento reperiatur) proposui. Vel sic tamen in commentario Magnum Antonium esse intelligendum statui, quia eum primitivis diminutiva passim permutantur, maxime in hoc ipso nomine. Verum scio te non offensum iri iis maculis, *quas aut incuria fudit, Aut humana parum cavit natura*. Vtinam ne majora peccata plura sis in commentario deprehensurus. Verum non dubito, quin aequi bonique consulas omnia, amiceque potius sis monitorus, quam acerbe reprehensurus. Iterum Vale. Postr. Non. Decembris ann. CIↃIↃCCXLV.

A D D E N D A

Pag. 46. *ad finem Adnot.* 11. *addi potest*: Verum in his Romani inciforis effigiem esse veriorem, didici postea ex ectypo nexus hujus in cera expresso, quod nuper ad me misit Jan. Xystus V. Cl.

Pag. 47. (*sect.* 10.) *v.* 2. *illa verba*, Pax vero &c. *refinge in hunc modum*: Pax vero eumdem catholicis adglutinat (*cum quibus*, ait Tertull. lib. de Virg. velandis c. 2., *COMMVNICAMVS JVS PACIS*, pulchre communionem *jus pacis* interpretans) & ab haereticis schismaticisque disjungit: qui *Haeretici* (ait Tert. l. de Bapt. c. 15.) *nullum habent consortium nostrae disciplinae, quos extraneos utique testatur ipsa ademptio COMMVNICATIONIS*. Hinc *Pacis* vocabulum in Christianis titulis &c.

Ead. pag. Adnot. 12. *col.* 2. *v.* 17. *quod negavimus* Spiritus Sancti *nomen hominibus imponi potuisse*: *contrarium elici videtur ex Reinesiano elogio* XX. 193. *ubi sic legitur*: SPIRITO SANCTO INNOCENTI qui vixit an. PL. M. III. *Vbi vides huic innocenti parvulo* Spiritus Sancti *nomen fuisse*. *Tamen fieri & illud potest, ut* INNOCENS *sit nomen proprium, & quod praecedit exponendum sit IN* (*aut* CVM) SPIRITO SANCTO, *ut* in *inscriptione Leopardi quam attulimus pag.* 48. *Adnot.* 12. *versus finem*.

Pag. 48. *ad finem Adnot.* 13. *adde haec alia exempla duo ex Murat. pag.* 413. 1. NONNOSA FIDELIS IN PACE . . . NS QVI VIXIT &c. Et pag. 420. 7. FIDELIS IN PACE (quidam, cujus nomen deletum est) VIXIT &c. *Ibidem sequuntur duae annorum summae; quas nisi disruptum marmor ex parte abolevisset, eae facerent ad pag.* 52. *sect.* 20.

Pag. 49. *ad finem Argumenti deest epitome sectionum* 31. *&* 32. *quippe quae postea sub prelo additae fuerunt: quarum tamen explicationem unice veram censeo*.

Pag. 50. *in Adnot.* 15. *Adde & hoc aliud exemplum ex Murat. pag.* 393. 1. *ubi quidam, cujus nomen in marmore corruptum cernitur*, VIXIT ANNOS XXXIII. M. XV ORAS VI.

Pag.

Pag.52. sect.20. v.8. post placuit *adde* : Quo etiam spectat Muratoriana inscriptio pag.420. 7. in qua duae sunt annorum summae (quamvis, fracto ea parte saxo, corruptae) non alio referendae, quam ad tempus ante & post lavacrum. Inscriptio sic habet :

FIDELIS IN PACE .....
VIXIT ANNOS TRICINTA .....
SEPTEBRES CONS. DECI .....
VIXIT ANIS PLVS M .....

Vbi parte dextera versu primo nomen defuncti deest : versu altero post TRICINTA (quae summa est vitae ante baptismum) sequebatur, *DEPositus* &c. versu quarto sequebatur altera vitae summa post baptismum. At versu tertio non assentior Muratorio referenti hunc lapidem ad ann. 529. quo *Decius Jun.* consul solus fuit. Mihi legendum videtur, CONSulatu DECI II. ET GRATI; qui anno 250. consules processerunt. Nisi pertineat ad sequentem annum. Vide fastos.

Pag. eadem ad finem sect.20. adde : Adhaec apud Murat. p.412. 4 AVGVSTA PARVVLA VIXIT IN SAECOLO ANNO VNO ET MENSES X ET DIE XXXIII. Vbi dicere debuisset *Mens.XI. dies III.* nisi subesset mysterium.

Pag.53. sect. 22. in inscriptione (ex Murat. 1934. 4.) numeri illi LXXV. divisim forsan legendi sunt in hunc modum, L. XXVI *h. e.* Ann. quinquaginta (*supple deinde* menses) sex & viginti, *eodem prorsus modo quo superiorem* Primi *inscriptionem exposuimus. Quid ita? Quia si Rustica sexto ac septuagesimo vitae anno obiisset; sequeretur, eam septuagenariam nupsisse (quod nunc turpe habetur, olim autem turpissimum, aut indignum saltem, quod in marmore scalptum perennaret) quia cum marito suo superstite sex tantum annos fecit. Vide ibi inscriptionem.*

Pag.ead.ad finem Adnot.25. adde : Aut vero si tam summa L. quam XXV. de annis sit intelligenda; dicemus, eas idcirco seorsum fuisse positas, quia *Primus* annos circiter quinquaginta ante baptismum, quinque vero & viginti post eumdem degerit.

Ad eamd.pag.53. addi alicubi potest : Tum in Hilari elogio, tum in pluribus aliis in ea pag. recitatis videtur baptismus anno circiter quinquagesimo perceptus fuisse. Itaque consideran-

E R R A T A

dum fuerit, an non, sicuti clinicos in eo reprehendit antiquitas, quod lotionem ad extremum usque morbum data opera differrent; sic alii fuerint, qui quod nimis magnifice de sponsionibus in lavacro faciendis sentirent, idcirco circ. annum quinquagesimum (ubi scil. cupiditates deferbuerint, ac virtutum habitudines robustiores evaserint) tingi se potissimum finerent.

Pag.34. v.8. pro annos LII. *scribendum erat* annos LXII. (*ut in Murat. legitur*) : *sed tamen cum utraque Sabbatini editio habet* [LII] *nefas duximus mutari quidquam.*

Pag.56. sect.17. v.3. scribe scalpro.

Eod.pag. col.1. v. sexto ante finem, post literarum *adde* loco.

Pag.54. sect.25. v.1. post Inscriptionis *tolle distinctionem.*

Pag.56. col.2. versu antep. pro facillimae *scribe* facillime. *Cetera lector corriget.*

VA1 1515953

Digitized by Google